





43


JODOCI LOMMII
COMMENTARII

IN
AUREL. CORNEL. CELSUM

DE
SANITATE TUENDA.

NOVAM EDITIONEM CURAVIT,
ET
PRAECIPUA, GRAECORUM ET ROMANORUM IN
DIAETETICAM MERITA RECENSUIT

JOSEPHUS EYEREL.



VINDOBONÆ
TYPIS ET IMPENSIS ALB. ANT. PATZOWSKY.

M DCC XCIV. 47. 85

DE PRÆCIPUIS
GRÆCORUM & ROMANORUM
IN
DIÆTETICAM MERITIS.

DE PRAECIPUIS

GRACORUM & ROMANORUM

DISSERTATIONEM MERITIS



Felicioꝛ ſemper in præcavendis, quam in ſanandis morbis Medicina fuit: et quod Medicus in uno alterove cive boni præſtat, hoc ſibi cum populo integro faciendum magiſtratus imponit.

III. Frank de Magiſtratu medico feliciffimo.

Græcorum et Romanorum in Diæteticam merita expoſiturus, haud abs re eſſe exiſtimo, eas cauſſas, quibus nobiſſima Medicinæ pars, Diætetica nempe, natales ſuos et progreſſus debet, paucis commemorare. Univerſim enim hæc ars, ea, qua nunc eſt dignitate, duplici videtur fonte fuiſſe exorta; uno, ex perattenta ſui ipſius corporis animique obſervatione, ad familiares uſus reſtricto; altero autem, ex communibus ſanitatiſ impedi-
mentis, ad publica commoda, traducto, ampliatioque. Primos in ſocietate homines de tuenda ſanitate minus eſſe ſollicitos oportuit, cum hæc ætas ſanitati mi-

nus inimica esse soleat. Verique simile est, ut CELSUS ait *), *inter non multa auxilia adversæ valetudinis, plerumque eam tamen bonam contigisse ob bonos mores, quos neque desidia, neque luxuria vitiant.* Primi autem omnium viri sapientes, seu Philosophi, ex solerti vitæ humanæ et officiorum hominis contemplatione, diætetica praecepta in suos et discipulorum usus condiderunt, ut PYTHAGORÆ, SOCRATIS, et STOICORUM exemplis patet. At hanc quoque philosophiæ partem servandæ sanitati, haud semper et ubique sufficere, sagacissimos hos viros non diu potuit latere. Hominibus enim in societatem quandam conjunctis, non cuilibet, an in urbe, aut ruri, an peregrinari, aut glebae adfixus esse, an montano, vel campestri aëre velit vivere, permissum est; sed suum quemque trahit vitæ genus, et multiplex inde in aegritudines propensio; quæ, ut quantum in rebus humanis fieri potest, imminuatur, legislatorum, et magistratum solertia prospiciendum erit. Atque hæc longe præstantior *publica* populorum *Diaetetica*, summam meretur,

*) Cels. lib. 2. cap. 5.

monente Ill. ERANKIO, principum et magistratum attentionem.

„Primarium artis medicæ objectum sanitatis deperditæ restitutionem vulgo adpellant; secundarium certe futurum, si mortalium aures, sanitate vigente adeo paterent medicorum monitis, quam quidem fero nimis hiare solent capiendis medicaminibus aegrotantium guttura. Vix artem novi, in qua circa avertendos machinæ errores, tantam artifices collocaverint operam, quam certe a medicis (quorum ex iniquo vulgi iudicio, omne lucrum a morbis esse ajunt) non absque insigni honore, ÆSCULAPII, positam docent tot conscripta de præcavendis morbis volumina; sed quod maxime dolendum, surdis canimus, quotquot deliciarum, luxuriarumque pericula exponimus, qui malle videntur ægrotare, ut a morbis arte divina percurentur, quam humano sibi ab iisdem prospicere consilio.“

„Omnes hinc non in præservante, sed in vindicante a morbis medico honores collocant: nec tamen, per Deos! ingenuo id animo faciunt, cum plurimorum mentem non tam sanitatis ipsius, quam decoris cujusdam ratio feriat, ut sibi medicum

vel morituris saltem ad lectum stare, vel in vita adhuc vegeta, eodem fere modo a latere esse cupiunt, quo optimates in republica, inter caeteros famulos æthiopem quoque, ostentationis causa alere solent. Certe ad aularum luxurias pertinet, ut divini verbi ministri, sic et viri medici, quibus hae mox carere possint, quam primum illorum monitis rarissime auscultantes principes, sibi soli suffecerint, et parasiticum omne genus aliud servorum, procul a se voluerint abjicere.“

„Non ineptum ergo videtur adeo consilium dedisse viri, medici ordinis ofores (quod romani olim philosophis non sine fructu fecisse dicuntur) facultatem quoque salutiferam rejici jubent e Republica, civitatemque sine medicis, si non magis sanam, saltem in genere multo securiorem promittunt esse futuram.“ a)

„Hanc ipsam facultatem interrogent iudices, quot non hominum quotannis trucidentur ab imperitis medicis millia? Experientiam consulant, quam exiguus eorum sit numerus, qui artis, quam profitentur, cujusque decorantur insignibus,

a) Rousseau Emile. I. Part.

regulas bene calleant, et dum exercendas sibi assumunt, non quovis fere die hallucinantes, PLATONIS se optimos, strenuosque in terra ministros gerant? et fateantur oportet, gentem medicam pro magna sua parte, vel ex aliena culpa civibus inutilem, vel ex propria reipublicæ esse exitiosam.“ b)

„Nescio igitur, quomodo magistratus, donec civitates et medicis uti, et medicæ artis suæ dignitatem agnoscere discant, immoto pectore populorum strages ingentes, mortalitatem ubique auctam, hominumque constitutionem in dies degenerantem adspicere queant, sine omni conatu, serpenti tandem obicem ponendi malo, et quocumque demum remedio succurrendi periculo. Nonne vero navim, irato Neptuno, procellis commissam, aegrotante gubernatore, vel ipse navarchus dirigit? — ac dum medicorum in sanos valentesque cives tam parva sit auctoritas, nonne forte ipsius magistratus, paterno opus est imperio, quo in generanda prole sana, in sobolis educatione physica dirigenda, in augendo bonorum civium robore,

b) J. E. Gilibert l' Anarchie medicinale,

inque malis tandem, quæ ab externis
causis corpori imminent, avertendis, de-
struendis, coercendis, in civitate conserve-
tur ordo, securitas, salusque publica. c)“

*TEMPORA MEDICINÆ GRÆCÆ FA-
BULOSA.*

Pauca sane in hac inculta hominum
ætate, Diæticæ vestigia deprehenduntur;
et ad sequentia fere possunt reduci:

Sub rege MINOS prima gymnasticæ
initia occurrere d), eaque a LYCURGO
et IPHITO, ad Spartanos esse transla-
ta. e).

APOLLINEM medicos artem prolon-
gandi vitam edocuisse f).

APOLLINIS sororem ARTEMIM
phylicæ infantum educationi præfuisse g).

Alteram APOLLINIS sororem PAL-
LADDEM (Atheniensibus Ἰγείαν) a græcis
sanitatis conservatricem Deam habitam
fuisse h).

c) Ill. Frank. Delect. opuse. Vol. V. p. 70.

d) Plato de legibus lib. I.

e) Pausanias lib. V.

f) Callimach. Hymn. in Apoll. Ver. 45.

g) Pausan. lib. IV. cap. 34.

h) Pausan. lib. I. cap. 23.

Majorem autem in Diætetica promo-
venda operam collocarunt sacerdotes, qui
in templis artem medicam exercebant i).
Præterquam enim, quod templa in amoe-
nissima, et ventis nocivis inpervia regio-
ne essent exstructa, purissimæ quoque, et,
ut vero valde simile est, soteriæ aquæ fon-
tibus gaudebant. k).

Erat PERGAMI puteum ÆSCULA-
PII, cujus aquæ præclaras dotes ARISTI-
DES oratione quadam celebravit. Inter
alia hæc habet:

„Ac primo quidem hæc aqua tenuis-
sima est, ad aëris naturam proxime acce-
dens; deinde, quod hinc sequitur, levissi-
ma simul, et mitissima, et maxime potabi-
lis, ac perennis, et ad cujus potationem
vinum non desideres.— Multi cum ex hoc
puteo lavassent, visum recuperarunt; mul-
ti ex aqua cum bibissent, pectoris sanita-
tem, et anhelitum laborantem receperunt;
multorum etiam pedes, aliave membra
sunt correcta. Nec desunt, quibus, quod
aquam duntaxat hauserant, saluti fuit.“ l)

i) Pausan. lib. III. cap. 24.

k) Sprengel Apologie des Hippocrates, II. Th.
S. 521.

l) Ælii Aristidis Andrianensis orationum Tomi tres.

HIPPOCRATES.

Ut omnis medicinæ, ita Diæteticæ quoque restaurator, HIPPOCRATES existit. Quæ enim Divinus senex præcepta in aphorismis posteritati reliquit, omni vitæ tempore utilissima sunt;

A multo tempore consueta, etiam si fuerint deteriora, infuetis minus turbare solent. Oportet igitur etiam ad insolita mutare. m)

Multum, et derepente evacuare, aut replere, aut calefacere, aut frigefacere, aut aliter quocunque modo corpus movere, periculosum est. Quod vero paulatim fit, tutum est; tum alias, tum si quis ex altero ad alterum transeat. n)

Somnus, vigilia, utraque modum excedentia, morbus. o)

Qui sana habent corpora, pharmacis purgati cito exsolvuntur; ut et qui pravo utuntur cibo p).

nunc primum latine versi a GULIELMO CANTERO
Basileæ 1466. fol. pag. 139. oratio in puteum Æsculapii.

m) Aph. II. 50.

n) Aph. II. 51.

o) Aph. VII. 71.

p) Aph. IX. 36.

Qui bene valent corpore, purgati sunt difficiles. q)

In tenui victu delinquent ægri; ob id magis læduntur. Omne enim delictum quod committitur, multo majus fit in tenui, quam in paulo pleniore victu. Propterea etiam sanis periculosus est valde tenuis, et constitutus, et exquisitus victus, quia delicta gravius ferunt. Ob hoc igitur tenuis, et exquisitus victus periculosus magis, quam paulo plenior. r)

Antiquissimum esse balneorum tepidorum usum, tum ad tuendam sanitatem, tum ad morbos etiam persanandos, ex HIPPOCRATE, præsertim ex libro de *Diaeta in morbis acutis*, s) patet, et pro vario caloris gradu, quem balnea habent, aut robur addi humanis corporibus, aut vires imminui, HIPPOCRATES docuit: calore nempe balnei, corporis humani calorem superante, hominem debilitari: roborari autem corpus, si calor balnei a calore corporis humani superetur. t).

q) Aph. II. 37.

r) Aph. I. 5.

s) Hippocrates de *Diaeta in acutis*. — Sprengel Apologie des Hippocrates. II. Th. S. 116.

t) Ill. Eq. de Zimmermann von der Erfahrung. — Marcard über die Natur und den Gebrauch der Bäder. S. 73.

Præter ea in libro de aëre, aquis, & locis, plurima occurrunt, quæ ad res pertinent, quibus sanitas aut conservatur, aut læditur: quo modo enim variæ anni tempestates, & atmosphæræ mutationes in corpus humanum influant, quænam ex situ locorum, aquæ, climatum, diversitate, commoda aut incommoda in publicam hominum salutem redundent, solerter exponit. u)

PYTHAGORAS.

Inter sapientes Græciæ viros omnium optime de re diætetica meritus est PYTHAGORAS. w) Is enim ad legislatorum, & magistratum curas Rei medicæ perficiendæ studium pertinere primus monuit, atque proprio etiam instituto publica sanitatis tuendæ præsidia promovit; cujus instituti sequens erat ratio. x)

„Erat autem princeps PYTHAGORÆ institutum, ut omnia, quæ ad animi cultum

u) Sprengel L. c. p. 513.

w) Heker Gesch. d. Arzneyk.

x) Aekermann Institutiones historiae Medicinæ. p. 50.
— Meiners Geschichte der Wissenschaften. Vol. 1.
L. 2. p. 418. — Jamblichius, de vita Pythagoræ, Cap. 39. p. 113. Edit. Küsteri.

pertinent, & ad virtutem ducunt, summo studio coleret. Hinc, ne corporis valetudo animi vim oprimeret, corporis robori conservando, augendo, summam curam gessit. Hinc munditiei in vestiendo, corporis purgandi a fordibus, summum studium; motus corporis matutinus, musica non raro adhibita, animi ad diurnos labores præparandi causa. Obambulatio in fanis Deorum, ut colloquio cum sociis doceret, quæ ad vitam beatioram reddendam pertinerent: corporis exercitatio post eam iterata: prandium parcum, vegetabile: deinde rei publicæ, familiaris, cura: tandem, post corporis motum coena, & quidem copiosior, nec tamen ultra satietatem. Victus vegetabilis, raro ex carnibus; ut adeo multi negaverint, carnes a PYTHAGOREIS usitatas fuisse, nec ab omni animali, nec a quaque ejus parte, neque alius, quam qui antea Deo oblatus fuisset. Fabæ ob incertas causas, plane prohibitæ. Summa abstinencia in omnibus affectibus, rebus etiam venereis. Quæ omnia a sociis quoque diligentissime observata sunt. Medicinam & socios docuit, & ipse exercuit, maxime tamen medicinam diæteticam excoluit. Corporis exercitia, & athletarum

exercitationes primum ad sanitatis normam reduxit.“

*GYMNASTICÆ CUM MEDICINA
CONNUBIUM.*

Ingens sanitati conservandæ emolumentum ex arte gymnastica cessit, non illa, qua Athletæ inclarescere studuerunt, sed ea gymnastica institutione, quæ a sapientibus Græciæ viris, ab Athleticorum laborum exemplis, moderatior effecta, & ad augendas servandasque corporis humani vires traducta est. Universæ autem, tum artis gymnasticæ athleticæ, tum medicæ initia, & progressus celeberrimus ACKERMANNUS hisce verbis delineavit: y)

„Quo magis robustus est homo, minus cultus, quo velocior est pedibus, quoque majore vi adversario obstare valet, eo præstantior ipse putatur. Hinc exercitationum necessitas nata: hinc cursus exercitium, ob venationem, locorum distantiam, in quibus homines degebant: luctæ, ob modum, quo ipsa prælia committi solebant.“

„Eaque exercitia antiquissima, & omnium primo ad augendum corporis robur contu-

y) Ackermann Histor. Med.

lerunt, quod summum fuisse temporibus antiquissimis, armorum grave pondus, hastarum, scutorum magnitudo, &c. docent.“

„Eadem exercitia multum contulerunt ad ipsam hominum societatem dilatandam, ad ipsos Græcos cultiores reddendos. Qui insigni pollebant robore, peregrinationibus in alias terras institutis, heroas ad certamen provocabant. Hi scientiam, artes, mores gentis suæ, ad alios detulere.“

„Quumque, machinis bellicis nondum inventis, victoriæ spes esset eo certior, quo majore robore milites valerent, & quo essent exercitiores; jussu eorum, qui reipublicæ curam gerebant, exerceri juvenes cursu, lucta, pugillatu, oportebat.“

„Inventis vero per PERICLEM machinis bellicis, bellorumque artificio tali facto, ut minus militum robore, magis arte atque consilio ducum, gererentur, non tam hanc ob causam, quam ob corporis valetudinem, & ob ludos solemnes in Græcia gymnasia frequentari coepere. Ut sana esset mens, nec severiora studia per corporis valetudinem interciperentur, bonæ valetudinis conservandæ, augendæ, sapientiæ professorum antiquissimorum cura summa erat. Neque alio modo sanitatem

conservari posse putabant, quam vitæ ratione sobria, & exercitatione corporis, crebra quidem, at certis tamen legibus adstricta.“

Hanc Gymnasticæ partem, quæ sanitati prospicit, **PYTHAGORAS** fecit maximi; diu itaque ante **HERODICUM** Selymbriensem inventa atque exculta est. **HERODICUS** vero, **HIPPOCRATE** & **PLATONE** non longe superior, postquam proprium experimentum feliciter cesserat, eandem ad morbos curandos primum adhibuisse dicitur, & si credibile omnino est, antiquiores sapientiæ professores, eadem, qua ad conservandam sanitatem utebantur ad eam restituendam quoque esse usos.

SOCRATES.

Ut sit mens sana in sano corpore, summa semper fuit sapientium cura. In hac re non solum præceptis, sed ipso etiam exemplo, quantum sit in sobrio vitæ genere sanitatis præsidium, **SOCRATES** docuit. Is enim simplicissimis cibis utebatur, neque unquam ultra, quam natura posceret, cibo potuive indulgebat. z) Elegans est, qua de vini abusu amicos admonet, similitudo.

z) Xenoph. memorab. Soeratis.

„Enimvero, ait, o Viri etiam mihi vel maxime videtur esse bibendum, dum animos rigat, mœrores quidem, perinde ac mandragoras homines sopit, et hilaritates, perinde ac oleum flammam excitat. Videtur autem mihi hominum quoque corporibus idem accidere, quod terra nascentibus. Nam cum hæc a Deo rigantur imbre nimio, non possunt erigi, nec ab aura perflari. Ac ubi tantum hauriunt, quantum iis gratum est: admodum erecta incrementum sumunt, florent, ad fructum perveniunt. Ita nos quoque, si potum immodicum infundamus, mox et corpora nobis, et animi vacillabunt; ac ne quidem respirare, nedum proferre quidquam poterimus.“ a)

Atque ob hanc ipsam in alimentorum usu temperantiam, a libidine maxime fuit alienus; corpore enim veluti instrumento animam uti oportere assererat. b) Erat autem **SOCRATES** longa consuetudine ita firmatus, ut neque a frigore aut calore, a fame sitive, vigiliis aliove laborum genere læderetur. Corpus autem exercere,

a) Xenoph. Sympos. C. II,

b) Xenoph. Mem.

neque cum senex esset, neglexit, et saltationem, quod videlicet nulla pars corporis otiosa esset, sed simul et collum, et crura, et manus exercerentur, omnibus aliis exercitationis generibus prætulit c). Hinc optima semper firmaque valetudine utebatur, et ab ipsa peste immunis vixit d).

P L A T O.

Eadem, quæ SOCRATES de tuenda sanitate præcepta dedit, PLATO quoque in plurimis suorum operum locis repetit, atque temperantiam et exercitationes corporis commendat. Quantum sit animæ in corpus imperium, et de regimine mentis, quod medici est, elegantissima narratione exhibet. e)

„Memini, ait CHARMIDES, quin etiam cum puer adhuc essem, te cum CRITIA hoc versari solitum: Recte tu quidem, inquam; ardentius enim incantationis tibi modum ostendam. Paulo vero ante

c) Xenoph. Sympos. C. II.

d) Gellii Noctes Att. II. 1.

e) Plato Charmides.

nesciebam, quo pacto vim illius tibi monstrarem. Est autem talis o Charmides, ut caput solum curare nequeat: quemadmodum sæpe ex peritis medicis audivisti, qui quoties aquis dolore oculorum affectos mederi, nisi prius capiti medeantur, neque caput absque totius corporis medicina posse curari. Hac de causa regulis quibusdam toti conferentibus utuntur, et a toto ad partem transeunt restituendam. An non audisti, ita dicere illos? Prorsus, inquit. Rectene loqui tibi videntur, inquam? Maxime omnium, inquit. Enim vero comprobari sibi hæc audirem, recepi fiduciam, ac mihi paulatim rursus animus excitatus est, recreatusque sum. Talis est, inquam, o Charmides, incantationis quoque hujus potentia; quam didici ibidem in exercitu a quodam medicorum Thracum, ZAMALXIDIS sectatorum, qui et immortalitatem afferre dicuntur. Adjecit præterea Thracius ille medicus etiam Græcorum medicos, quæ supra narrata sunt, prædicare. Cæterum ZAMALXIS ait, Rex noster, ac Deus tradit; quemadmodum oculos sine capite curare non decet, neque sine reliquo corpore caput, ita neque sine anima corpus. Eaque causa est,

cur medicos Græcos morbi corporum multi lateant, quia totum ipsum ignorant, quod in primis curare oportet: quo male affecto impossibile est, partem aliquam bene valere. Omnia namque, vel bona, vel mala, ab anima in corpus, et hominem totum manant, indeque similiter, ut ex capite in oculos effluunt. Illam igitur primum, et maxime curari jubet, si modo caput, et univrsum corpus bene valere debeat. Animæ vero, o beate, medelas esse, docet incantationes quasdam. Eas præclaris rationibus contineri, quibus animæ temperantia tribuatur: qua inserta, atque præsentē, facile esse sanitatem capiti, totique corpori tradere. Ille igitur, cum medelam, incantationesque doceret, iussit, ut nullis precibus motus, alicui contra capitis dolorem remedium adhiberem, nisi prius animam incantationibus ipsis purgandam commisisset. Hunc sane nostrorum temporum errorem dicebat esse, quod plerique absque temperantiæ, sanitatisque studio medici esse contendant. Me itaque mirum in modum permonuit, mandavitque, caverem, ne quis unquam dives, seu nobilis, five pulcher, mihi ut aliter faciam, persuadeat. Illi hoc ego jure ju-

rando interposito me obstrinxi: quam ob rem necesse est, paream, et parebo, quod si voles secundum hospitis præcepta animam tuam prius incantationibus omnibus Thracis illius subicere, capiti admovebo; *h*n minus, non potero, o amice **CHARMIDES**, tibi prodesse. Cum igitur hæc audiisset, **CRITIAS**, lucro, inquit, erit grævedo hæc capitis adolescenti, si cogatur, mente quoque, et animo, propter caput, melior fieri.“

ARISTOTELES.

Sagacissimus rerum naturalium, et medicinæ etiam scrutator. Plurimas habet de functionibus corporis humani sani, easque non ubique obvias adnotationes.

In problematibus multa occurrunt curiose observata medici argumenti. In sectione prima **HIPPOCRATEM** sequitur, et eodem fere modo vim tempestatum in corpus humanum explicat. Quæstione enim tertia, sectionis primæ, ita habet:

„Cur tempora, flatusque morbos intendant, tollantve, judicent, vel committant? an quod aut frigida, aut calida, aut humida, aut sicca sunt, morbosque

qualitatum hujusmodi excessus committit? secunda etenim valetudo mediocritas quaedam est. Quod si per humidam, frigidamve materiam morbus constiterit, tempus accidens contrarium tollere illum poterit. Sed si minus contrarium subsequutum sit, qui similis status supervenerit, intendet sane, atque interimet: quo etiam fit, ut qui bene valent, ægrotare tempore mutato incipiant: corporis enim proinde temperamentum solvatur necesse est; quippe quod non nisi temporum, ætatum, locorumque statu idoneo aptum sit augeri servarique. Quam ob rem, cum tempora evariant, ratio tunc valetudinis habenda diligentius est.“

„Quæstione septima ita loquitur: Cur morbus pestilens solus ex omnibus præcipue afficiat eos, qui ad laborantes eo morbo proxime accesserint? an quod is solus omnium morborum communis omnibus hominibus est? Itaque pestem facile omnibus infert, qui scilicet depravato habitu sunt. Fit enim, ut morbo cubantis, veluti quodam fomite succedente, vitium illud protinus exultet, concipiaturque in aliis. Atque hoc loco ARISTOTELES causam manifeste in communi quadam omnium

fere hominum in hunc morbum proclivitate ponit: ὅτι μόνη τῶν νοσῶν πόσνη ἔστιν ἅπασιν. f)

DIOCLES

Corystius, ex Asclepiadum schola, inter illustrissimos medicos post HIPPOCRATEM laudatus, PRAXAGORA, ut videtur ex PLINII g), et GALENI h) variis locis, antiquior.

Agit in diætetis de pane i), de cerealibus k), de aquæ optimæ signis l) de præparatione alimentorum, et de coquina m), et de aqua corrigenda, dum coquitur cum alumine, adita argilla n). De victu itinerantium, o) et navigantium, p) cibum alium æstate dabat; alium hyeme, q) Epi-

f) Aristotelis opera omnia Gr. et Lat, Edit. Du. Vall. Tom. IV. p. 35 et 36.

g) Plin. L. XXVI.

h) Galen. in Julianum, ad fin.

i) Athenæus l. II.

k) Galen. facult. aliment. I.

l) Athenæus ibid.

m) Oribas. Collec. l. IV.

n) Id. libr. V. C. 4.

o) ibid. C. 32.

p) ibid. C. 33.

q) Cael. acut II. C. 20.

stola ad grandævum ANTIGONUM data, videtur ad Asiæ regem pertinere, qui inter ALEXANDRI successores fuit. In ea epistola morbi secundum anni tempora enumerantur.

EPICURUS.

Stoicos equidem philosophos de sanitate tuenda, quatenus hæc a temperantia et sobrietate, regitur, et servatur, omnibus notum est. At EPICURUS male vix non apud omnes audit, ac si summus luxuriæ præceptor exstitisset. Quam autem a vero id sit alienum, PETRUS GASSENDUS r), optime ex sequenti ZENONIS cum EPICURO comparatione apparet: „ZENO, ut erat natura subtristis, austerus, et vultu contracto, præparcus: sic enim illum describit LAERTIUS s): Sectatoresque etiam ipsius ad sui ducis imitationem sic se componebant, ut se adherent terricos aspectu, et maxima parte ad cutem derafos, quod a LUCIANO t) observatum est; hinc effectum est, ut stoi-

r) De vita et moribus Epicuri libri VIII. Auctore Petro Gassendo Lugduni 1747.

s) Diog. Laërt. lib. 7.

t) Lucian. in Hermot.

ca virtus, seu sapientia ea descripta sit, quæ eximiam aliquam austeritatem præ se ferret. Quia vero isti propterea admirationi, et venerationi apud vulgus erant; ea de causa sic se ipsos existimarunt solos sapere, ut jactarent solum sapientem (Stoica nempe virtute instructum) esse regem, belli ducem, magistratum, civem, rhetorem, amicum, pulchrum, nobilem, divitem; prætereaque ipsum solum non poenitere, non misereri, non injuria affici, non ignorare, non opinari, passionum esse expertem, semper liberum, semper in gaudio, Deo parem &c. quæ magna ex parte relata, improbataque a PLUTARCHO u) sunt, cum Stoicos docuit, longe absurdiora, quam poetas docere.“

„At EPICURUS, prout erat natura humanior, ita bona fide, et simpliciter agens, probare non potuit hasce jactationes; sed humanæ conscius imbecillitatis, expendit, portare quid possent, quid recusarent humeri. Facile pervidit, ea, quibus intonaret Porticus, si apparatus, fastumque verborum quis detraheret, haberi duntaxat in votis; quare virtutem, et sa-

u) Plutarchus In absurd. Stoic.

pientiam, cujus natura humana esset ca-
 pax, excogitavit. Cum videret porro om-
 nes homines naturæ ductu, quidquid age-
 rent, ad voluptatem aliquam ferri; expen-
 sis vero omnibus voluptatum generibus,
 deprehenderet, nullam esse generaliore,
 constantiore, expetibiliore ea, quæ in
 corporis sanitate, animique tranquillitate
 (sed ista præsertim) constituta esset; idcir-
 co hunc finem bonorum constituit, adjecit-
 que, solam virtutem esse instrumentum ma-
 xime idoneum, quo voluptas hæc para-
 retur. Sapientem, seu virtute præditum
 virum esse illum, qui primum quidem so-
 brietate, et continentia, hoc est virtute
 temperantiæ, sanitatem corporis, quate-
 nus per constitutionem nativam liceret, tue-
 retur; deinde vero operam potissimum im-
 penderet, ut virtutum choro adjutus, ac
 sedatis libidinis, gulæ, avaritiæ, ambi-
 tionis, cæterisque affectibus, tueretur,
 quam maxime posset, tranquillitatem ani-
 mi. Scilicet veram, germanamque vo-
 luptatem consistere non in ipso actu, seu
 motu, ut ARISTIPPUS definierat; sed in
 statu, seu vacuitate, tum doloris in cor-
 pore, tum perturbationis in mente. Apud

EPICURUM, inquit SENECA x) *duo bona sunt, ex quibus summum illud, beatumque componitur, ut corpus sine dolore sit, animus sine perturbatione.* Et sic ille quidem ingenuè, simpliciterque edifferebat. Neque curabat interim, quod ZENO auram popularem magnificis illis vocibus captaret, et gestu habituque morum gravitatem exprimeret: quippe egit semper candidius, quam ut populo imponere vellet, cui nosset nihil esse acceptius ostentatione earum rerum, quas nec intelligentia, nec opere assequitur. *Nunquam volui,* inquit apud SENECAM, *populo placere; nam quae ego scio, non probat; quae probat populus, ego nescio.* Et ad amicum: *Haec ego, inquit, non multis, sed tibi; satis enim magnum, alter alteri theatrum sumus.*"

M. PORCIUS CATO.

Vir censorius, historicus, optimus orator, optimus imperator, optimus senator y) *Rusticorum Latinorum princeps.* Optime de Diætetica meriti sunt scriptores rei

x) Seneca Epist. 66.

y) Plinius hist. Nat. lib. VII. c. 27.

rusticæ z); non enim de agrorum tantum cultura, aut de plantis arboribusque agunt, quæ saluberrimum hominibus victum largiuntur, sed etiam de victu, qui ex animalibus paratur, de salubritate regionum, et aquarum, utilissimas observationes et præcepta posteris reliquerunt. Plurima etiam, quæ ad sanandos morbos faciunt, in his scriptoribus reperias.

ASCLEPIADES.

Quo modo ASCLEPIADES de re diætetica meritus sit, succincte celeb. ACKERMANNUS a) enarrat. „In diaeta sanorum vitæ varietatem summopere commendavit sanisque aquam bibere frigidam, et frigida lavari vehementer convenire dixit. Eo hinc auctore Balneorum usus Romæ potissimum invaluit. Primo pensili balinearum usu hominibus ad infinitum blanditum esse ASCLEPIADEM, PLINIUS refert b). Summum hic, cùm sanitatis præsidium, tum

z) *Scriptores rei rusticæ veteres Latini.* Cato, Varro, Columella, Palladius &c. Curante Jos. Matthia Gesnero. Vol. II. Editio secunda cura Ernesti. Lips. 1773. 4.

a) Cel. Ackermann *Instit. Hist. Med.* p. 240.

b) Plinius lib. XXVI. c. 3.

omnium morborum medelam in diæta esse statuit; medicamentorum enim usum hanc ob causam sustulit, quod omnia fere medicamenta stomachum laedere, malique succi esse putabat. c) Hinc ad victus rationem omnem suam curam transtulit, quinque res maxime omnium auxiliorum esse professus, abstinentiam cibi, alias vini, frictionem, ambulationem, gestationem d). Trahebat mentes artificio mirabili, vinum promittendo aegris, dandoque tempestive, tum aquam frigidam; ipse cognominari se frigida danda prætulit. In eorumque omnium parte plurima ERASISTRATUM sequutus est. Ad famam ASCLEPIADIS augendam permultæ res contulerunt. Romæ degēbat tempore, quo reipublicæ gloria summum fastigium attigerat: quo Romanorum divitiæ, luxuria, et in medicos, qui scientiam suam ex Graecia Romam detulerunt, odium creverat. Hic vero, quod Romæ ex Rhetore medicus factus erat, sua omnia Romæ invenisse, adeoque Romanorum medicinam Romanis facere videbatur. Famæ præterea suae serviebat, principes

e) Celsus in præf. ad lib. V.

d) Plin. Libri XXVI. c. 2.

in republica viros amicos habebat, et quod ad existimationem medicorum non raro efficacissimum est, qui jam curationum suarum gloriam quamdam consequuti sunt, omnibus contradixit, alios omnes de morbis pessime sensisse, eosdemque pessime curasse, palam professus est. HIPPOCRATIS et veterum aliorum medicatio- nes, mortis meditationes esse dixit.

VITRUVIUS.

M. VITRUVII, elegantissimi scrip- toris de architectura opus, varia habet ad Diæticam pertinentia. De electione salubris loci pro ædibus e) præcepta tra- dit. Ex hepate diu conservato bonam de loci salubritate conjecturam faciebat. Ob hanc de salubritate loci incuriam integræ non raro civitates plectuntur, et MITI- LENEN hujus veritatis exemplum addu- cit: „Mœnibus circumdatis, ait, sequun- tur intra murum arearum divisiones, pla- tearumque, et angiportuum ad coeli regi- onem directiones. Dirigent hæc autem recte, si exclusi erunt ex angiportis venti prudenter. Quare vitandum videtur hoc

e) Lib. I. c. 4.

vitium , et advertendum , ne fiat , quod in multis civitatibus usu solet evenire : quemadmodum in insula LESBO oppidum MITILINE magnificenter est ædificatum , et eleganter , sed positum non prudenter. In qua civitate auster cum flat , homines ægrotant : cum corus , tussiunt : cum septentrio , restituntur in salubritatem : sed in angustis et plateis non possunt consistere propter vehementiam frigoris f)“

De aquis quoque mineralibus , et thermis , fontibusque medicatis egit g). De fontibus noxiis , frigore , metallico veneno. Aliqua ad aquarum analysin ; etiam per coctionem.

GORNELIUS CELSUS.

Eum floruisse prius ; quam ANTONIUS MUSA AUGUSTUM contraria medicina curaret , probavit J. Lud. BIANCONNIUS in epistola de CELSI ætate. Cæterum , quam præclara sint hujus viri in Dieteticam merita , LOMMIUS noster , tum in commentariis hisce , tum in præfatione ad

f) Lib. I. c. 6.

g) Lib. VIII. c. 2. 3.

hoc ipsum opus , elegantissimo sermone demonstravit.

XENOCRATES.

Plura hujus viri opera diætetica periere. Superest ejus liber de alimentis ex aquatilibus , a FABRICIO recusa , in Biblioth. Græca Vol. IX. græce et latine ex versione J. B. Rosarii. Nupera plenior est editio cura I. G. F. Turanzii. Lips. 1743, 8. XENOCRATES fere ad sapes respexit , aut ad faciliorem , vel graviorem coctionem cujusque piscis , quæ fiat in ventriculo ; subinde , rarius tamen , vires medicales adnotavit ; pisces utcunque descripsit. h).

CAJUS PLINIUS SECUNDUS.

In vastissimo PLINII SECUNDI opere , *Historia mundi* , innumera occurrunt , medicorum diæteticorum attentione dignissima. Præterquam enim , quod a duodecimo ad XXVII. Libr. stirpium historiam pertractat , ubi de vitis generibus , de arboribus fructiferis , de hortorum cul-

h) Haller Bibl. Med. Pr. T. I. p. 170.

tu, &c. agitur; sed etiam in Libris de medicina ex herbis, et animalibus multa, quæ ad Diæteticam pertinent, passim leguntur. De aquarum quoque differentiis, et vi medicata multa notatu digna PLINIUS adnotavit.

C. PLINIUS CÆCIL. SECUNDUS.

Exstat PLINII, cum esset Proconsul, ad Imperatorem TRAJANUM epistola, ex qua patet, quanta fuerit Principum Romanorum de publica civium sanitate cura.

C. PLINIUS TRAJANO IMP. S.

„Amastrianorum civitas, Domine, & elegans, & ornata, habet inter præcipua opera, pulcherrimam, eamque longissimam plateam; cujus a latere per spatium omne porrigitur nomine quidem flumen, re vera cloaca foedissima: quæ sicut turpis, & immundissima aspectu, ita pestilens est, odore teterrimo. Quibus ex causis, non minus salubritatis, quam decoris interest, eam contegi. Quod fiet, si permiseris, curantibus nobis, ne desit quoque pecunia operi tam magno, quam necessario.“

Ad hanc literam sequens habetur Imperatoris Responsio:

TRAJANUS PLINIO S.

„Rationis est, mi SECUNDE carissime,
 „contegi aquam istam, quæ per civitatem Ama-
 „srianorum fluit, si intacta salubritati obest.
 „Pecunia, ne huic operi desit, curaturum te
 „secundum diligentiam tuam, certum habeo.“

HERODOTUS.

ATHENÆI discipulus, Romæ medi-
 cinam fecit, & inter clariores fuit pneuma-
 ticos. Multa diætetica scripsit, quæ ORI-
 BASIUS conservavit. De balneis oleosis.
 De balneo aquæ marinæ. De temporibus,
 quibus opportunum sit cibum dare. De na-
 tatione. De certamine umbratili. De gesti-
 culatione. De pila varia i).

MOSCHION.

MOSCHION *Methodicus*. In Li-
 bro de morbis mulierum multa de prima
 infantum physica educatione præcepta: E.
 g. de nutrice idonea; de Diæta & exercitiis
 nutricis; de balneo infantum &c. k).

i) Oribasius Collectan.

k) Moschionis de mulierum passionibus Liber 1.
 Quem ad mentem MS. græci in Bibliotheca Cæsareo-
 Regia Vindobonensi asservati, tum propriis correctio-
 nibus emendavit, additaque versione latina edidit F.

PLUTARCHUS.

Non quidem medicus, cæterum polygraphus, cujus passim in historia medica sua sit utilitas. Sed etiam integrum diætetici argumenti Dialogum hujus Viri habemus:

De tuenda sanitate præcepta. Inter alia, utilissima præcepta, insignis in hoc dialogo locus est, de noxis, quæ ex stricto nimis vitæ genere in sanitatem redundant:

„Accuratissima illa, et ad unguem, ut ajunt, explorata victus ratio, corpus reddit admodum meticulosum, et periculis obnoxium, ipsiusque animi alacritatem retundit, omnibus de rebus, omni tam laboris tractatione, quam sanitatis fruitione suspicantem finistri aliquid, nihilque confidenter adgredientem. Oportet autem corpus, navalis instar veli, neque sereno et tranquillo cælo nimis contrahere, aut comprimere: neque cum aliquis subest metus, nimis passo et laxato eo uti; sed conceden-

C 2

O. Deivez sacrae celsitud. Reg. Archiducis Mariae Annae, Coenobii virginum nobilium Pragensis Abbatissae Archiater. Viennae apud Græffer & Soc. 1793. 8.

dum est aliquid corpori, allevandumque est, neque eo usque differenda cura, dum cruditates jam, et fluxus alvi immodicus, aut æstus, torporesve ingruant; quibus nonnulli vix tandem tanquam a nunciis, aut apparitoribus febrim esse ante fores conturbantur, et moderari sibi incipiunt: cum debuerint eminus ante tempestatem sibi præcavere; veluti qui observant Boream, ut ille ait, ad maritimum promontorium flatu impingentem. Est enim absurdum, quum crocitationibus corvorum, gallinarum cantationibus, suumque furiosis in coeno volutionibus, ut appellat **DEMOCRITUS**, studiose animum attendamus, ventorum inde, et imbrium præsagia sumentes: motus nos corporum nostrorum, et jactationes, affectionesque morbum antecedentes non observare, non præcavere, neque indicia futuræ in nobis tempestatis percipere animo. Ergo non ad nutritionem modo corporis quod attinet, et exercitationem notandum est, an iis corpus segnius, minorive cum alacritate, quam consueverat, utatur, et an solito amplius fame sitive tentetur: sed somnus quoque, si continuus, aut lenis non sit, verum inæqualitatem habeat, et divulsionem, suspi-

cionem nobis morbi injicere impendentis debet; atque ipsa adeo somnia, absurda si sint, visaque nobis per quietem offerantur non legitima, neque consueta, multitudinem, aut crassitiem humorum internam, spirituumve conturbationem deferunt. Ipsi etiam motus animi significant interdum, corpus ad morbum esse proclive; nulla enim causa exstante oboriuntur aliquando subitæ mæstitiæ & metus, repente spes animo conceptas exstinguentes; stomachus quoque facile quibusdam movetur, irasque et dolores celeriter minutissimas ob res suscipiunt, lachrymanturque, et animi sese angunt, cum vapores, exhalationesque vitiosæ coeunt, animi, ut ait PLATO, permiscentur circuitibus. Quibus ergo hæc accidunt, ii perpendere secum ea debent, et scire, si spiritalis nulla sit causa, subesse corpoream aliquam, quam comprimere, aut contemperari oporteat.“

In dialogo *de fera numinis vindicta*, de hæreditaria corporum labe, ob prægressa parentum vitia, pulchre disputat:

„Non absurdam, inquit, rem, sed necessariam, neque ridiculam, sed utilem agimus, quando filiis comitali morbo, melancholia, aut podagra detentorum exer-

citationes, victus rationem, et medicamina accommodamus, non quod ægrotent, sed ut ne hoc fiat. Natum enim e malo corpore corpus supplicium sane nullum, sed custodiam meretur.“

De esu carnis, binæ exstant orationes: Esum carniū contra naturam esse contendit.

In dialogo *de Puerorum educatione* multa de physica educandi ratione utilia occurrunt.

LUCIANUS.

Festivus, ut HALLERUS ait, deorum, hominumque derisor, multa habet ad rem diæticam facientia.

In dialogo, HIPPIAS, inscripto, *Balneum* describit. In *Longævis* exempla adducit virorum, qui ad longam senectutem pervenisse, cum sana mente et corpore integro, memorantur.“ — Unde probatur: „in omni solo, in aëre omni, longævus fuisse viros, exercitationibus convenientibus, et aptissima ad sanitatem victus ratione.“

Lepidissima autem Luciani satyra est, de parasito, ubi homines, qui non, ut vivant, edendum, sed ut edant, vivendum

sibi esse, existimant, acerrimo sale perfri-
cantur. Hæc autem ars, *Parasitica* nem-
pe, nostro etiam, quo vivimus sæculo, la-
tissime exulta, definitur: *Ars esculentorum
et potulentorum, atque propter ista discen-
dorum, finis autem illius voluptas.* Hanc
artem nobilissimam jam ab ipso HOMERO
fuisse deprædicatam: beatam esse hanc ar-
tem et invidendam solam.

„Non (inquit) finis quisquam jucundior ex-
stat

Quam si lætitiæ populum tenor occupat om-
nem,

— si mens exstructa sit alta

Pane ac carne, merumque cavis crateribus
haustum

Circum omnes pincerna ferat, cyathisque
ministrat.“

Et quasi non satis illa admiratus esset,
suam ipsius sententiam manifestiorem red-
dit, bene dicens:

„Haec nostro nobis pulcherrima corde vi-
dentur.“

AULUS GELLIUS.

A: GELLIUS polyhistor, HADRIA-
NI, et ANTONII PII aëvo floruit, in-
que *Noctes suas atticas* plurimam, variam-

que eruditionem collegit, etiam medicam. Ita morbos humanæ naturæ connatos esse, adversus eos, qui providentiam consistere negaverunt, **CHRYSIPPUM** disputantem adducit.

„Nihil est, inquit **CHRYSIPPUS** in libro *περὶ προνοίας* quarto, imperitius, nihil insubidius, qui opinantur bona esse potuisse, si non essent ibidem mala. Nam cum bona malis contraria sint, utraque necessarium est, opposita inter sese, et quasi mutuo adverso quæque fulta nisu, consistere, nullum adeo contrarium, sine contrario altero. Quo enim pacto justitiæ sensus esse poterit, nisi essent injuriæ? aut quid aliud justitia est, quam injustitiæ privatio? quid item fortitudo intelligi posset, nisi ex ignaviæ oppositione? quid continentia, nisi ex intemperantiæ? quo item modo prudentia esset, nisi foret contra imprudentia? proinde inquit, homines stulti cur non hoc etiam desiderant, ut veritas sit, et non sit mendacium? Namque itidem sunt bona et mala, felicitas et infortunitas, dolor et voluptas, alterum enim ex altero, sicut **PLATO** ait, verticibus inter se contrariis deligatum est; sustuleris unum, abstuleris utrumque. Idem **CHRYSIPPUS**

in eodem libro tractat, consideratque, dignumque esse id quæri putat *ἐι αἰτων ανθρωπων νοσοι κατὰ φύσιν γινονται*, id est: naturane ipsa rerum, vel providentia, quæ compagem hanc mundi, et genus hominum fecit, morbos quoque, et debilitates, et ægri- tudines corporum, quas patiuntur homines fecerit. Existimat autem, non fuisse hoc principale naturæ consilium, ut faceret homines morbis obnoxios: nunquam enim hoc convenisse naturæ auctori parentique rerum omnium bonarum. Sed quum multa, inquit, atque magna gigneret, pareretque aptissima, alia quoque simul agnata sunt incommoda iis ipsis, quæ faciebat, cohærentia, eaque non per naturam, sed per sequelas quasdam necessarias facta dicit, quod ipse appellat, *κατα παρακολυθησιν*, sicut, inquit, cum corpora hominum natura fingeret, ratio subtilior, et utilitas ipsa operis postulavit, ut tenuissimis, minutisque ossiculis caput compingeret. Sed hanc utilitatem rei majoris alia quædam incommoditas extrinsecus consecuta est, ut fieret caput tenuiter munitum, et ictibus offensionibusque parvis fragile. Proinde morbi quoque et ægri- tudines partæ sunt, dum salus paritur. Sic hercle, inquit, dum vir-

tus hominibus per consilium naturæ gignitur, vitia ibidem per affinitatem contrariam nata sunt.“ 1)

Libro XII. pulcherrima est FAVORINI philosophi dissertatio, qua suavitati nobili foeminae, ut liberos, quos peperisset, non nutricum adhibitarum, sed suo sibi lacte aleret.

„Nunciatum quondam est FAVORINO philosopho, nobis praesentibus, uxorem auditoris, sectatorisque sui paululum ante enixam, auctumque eum esse nato filio. Eamus, inquit, et puerperam visum, et patri gratulatum. Is erat loci senatorii ex familia nobiliore. Imus una, qui tum aderamus: prosequutique eum sumus ad domum, quo pergebat, et cum eo simul introgressi sumus. Tum in primis aedibus complexus hominem congratulatusque, assedit, atque ubi percunctatus est, quam diutinum puerperium, et quam laboriosus nixus fuissent, puellamque defessam labore ac vigilia somnum capere cognovit; fabulari instituit prolixius: et, nihil, inquit, dubito, quin filium lacte suo nutritura sit.

1) Aul. Gellii Noctium atticarum Libri XX. Libr. VI. c. 1. p. 344: Edit. Gronov. L. B. 1706.

Sed cum mater puellae parcendum esse ei diceret, adhibendasque puero nutrices, ne ad dolores, quos in enitendo tulisset, munus quoque nutritionis grave ac difficile accederet; oro te, inquit, mulier, sine eam totam integram esse matrem filii sui! quod est enim hoc contra naturam imperfectum, atque dimidiatum matris genus, peperisse, ac statim ab sese rejecisse? aluisse in utero sanguine suo, nescio quid, quod non videret: non alere nunc suo lacte, quod videat, jam viventem, jam hominem, jam matris officia implorantem? an tu quoque, inquit, putas naturam foeminis mammaram ubera quasi quosdam nævulos venustiores, non liberorum alendorum, sed ornandi pectoris causa dedisse? Sic enim, quod a vobis scilicet abest, pleræque istæ prodigiosæ mulieres fontem illum sanctissimum corporis, generis humani educatorem, arefacere, et extinguere, cum periculo quoque aversi, corruptique lactis laborant, tamquam pulchritudinis sibi insignia devenustet: quod quidem faciunt eadem vecordia, qua quibusdam commentitiis fraudibus nituntur, ut foetus quoque ipsi in corpore suo concepti abortiantur, ne æquor illud ventris irrugetur, ac

de gravitate oneris, et labore partus satisfacat. Quod quum sit publica detestatione communique odio dignum, in ipsis hominum primordiis, dum fingitur, dum animatur, inter ipsas artificis naturæ manus, interfectum ire: quantulum hinc abest, jam perfectum, jam genitum, jam filium proprii, atque consueti, atque cogniti sanguinis, alimonia privare? Sed nihil interest (hoc enim dicitur) dum alatur, et vivat, cujus id lacte fiat. Cur igitur iste, qui hoc dicit, si in capessendis naturæ sensibus tam obsurduit, non id quoque nihil interesse putat, cujus in corpore, cujusque ex sanguine concretus homo et coalitus sit? an quia spiritu multo, et calore exhibuit, non idem sanguis nunc est in uberibus, qui in utero fuit? nonne hac quoque in re sollertia naturæ evidens est, quod postquam sanguis ille opifex in penetralibus suis omne corpus hominis finxit, adventante jam partus tempore, in supernas se partes profert, ad fovenda vitæ atque lucis rudimenta præsto est, & recens natis notum & familiarem victum offert? "

„Quam ob rem, non frustra creditum est, sicuti valeat ad fingendas corporis atque animi similitudines, vis et natura se-

minis, non secus ad eandem rem lactis quoque ingenia et proprietates valere. Neque in hominibus id solum, sed in pecudibus quoque animadversum; nam si ovium lacte hoedi, aut caprarum agni alantur, constat ferme in his lanam duriolem, in illis capillum gigni teneriolem. In arboribus etiam, et frugibus major plerumque vis et potestas est, ad earum indolem vel detrectandam, vel augendam, aquarum atque terrarum, quæ alunt, quam ipsius, quod jacitur, seminis: ac sæpius videas arborem laetam et nitentem, in locum alium transpositam, deterioris terræ succo deperiisse.“

„Quæ, malum, igitur ratio est, nobilitatem istam nati modo hominis, corpusque et animum, bene ingeniatis primordiis inchoatum, insitivo degenerique alimento lactis alieni corrumpere, præsertim si ista, quam ad præbendum lactem adhibebitis, aut serva, aut servilis est, et ut plerumque solet, externæ, atque barbaræ nationis, si improba, si informis, si impudica, si temulenta est; nam plerumque sine discrimine, quæcunque id temporis lactens est, adhiberi solet. Patimurne igitur infantem hunc nostrum pernicioso contagio infici, et spiritum du-

cere in animum atque in corpus suum, ex corpore et animo deterrimo? Id hercle ipsum est, quod sæpenumero miramur, quosdam pudicarum mulierum liberos parentum suorum neque corporibus, neque animis similes existere? scite igitur, et perite noster MARO, quod quum versus illos HOMERI confectaretur

„— — Non igitur tibi pater erat equitator
Peleus,

Neque Thetis mater: glaucum autem te genuit mare,

Et rupes arduae, quia tibi mens est crudelis.“

Non partionem solam, tamquam ille, quem sequebatur, sed alituram quoque feram et saevam criminatus est: addit enim hoc de suo.

Hyrcanaeque admôrunt ubera tigres.

Quoniam videlicet in moribus inolescendis magnam fere partem ingenium altricis, et natura lactis tenet: quæ jam a principio imbuta, paterni seminis concretionem, ex matris etiam corpore et animo recentem indolem configurat. Et præter hæc autem, quis illud etiam negligere aspernarique possit, quod quæ partus suos deferunt ablegantque a sese, et aliis nutriendos dedunt, vinculum illud coagulum-

que animi atque amoris, quo parentes cum filiis natura confociat, interfcindunt, auferte certe quidem diluunt, deteruntque; nam ubi infantis aliorum dati facta ex oculis amolitio est, vigor ille maternæ flagrantiaë sensim atque paulatim restringitur, omnisque impatientissimæ sollicitudinis strepitus conflescit; neque multo minor amandati ad nutricem aliam filii, quam morte amissi oblivio est; ipsius quoque infantis affectio animi, amoris, consuetudinis, in ea sola, unde alitur, occupatur, et proinde, ut in expositis usu venit, matris, quæ genuit, neque sensum ullum, neque desiderium capit, ac propterea obliterated, et abolitis nativæ pietatis elementis, quidquid ita educati liberi amare patrem, atque matrem videntur, magnam fere partem non naturalis ille amor est, sed civilis, et opinabilis. Hæc FAVORINUM dicentem audivi græca oratione: cujus sententias communis utilitatis gratia, quantum meminisse potui, retuli; amoenitates vero, et copias ubertatesque verborum, Latina omnis foecundia vix quidem indipisci potuerit; mea tenuitas nequaquam."

In libro denique XVIII, cap. I. hoc GELLII exemplum, ut multi eruditorum imitarentur, utique in votis habeo:

„Existimavi non medico soli, sed omnibus quoque hominibus liberis, liberaliterque institutis turpe esse, ne ea quidem cognovisse ad notitiam corporis nostri pertinentia, quæ non altius occultiusque remota sunt; & quæ natura nobis tuendæ valetudinis causa et in promptu esse, et in propatulo voluerit: ac propterea, quantum temporis habui subsceſivi, medicinae quoque libros attigi, quos arbitrabar idoneos esse ad docendum.“

ATHENÆUS.

ATHENÆUS *Ægyptius*, Nautacrita, et ipse philologus, in convivio suo, inque Libris XV. *Δειπνοσοφιστων* infinitam eruditionem antiquam congeſſit. Innumera fragmenta veterum medicorum Græcorum conſervavit, non alibi ſuperſtitia, poſſimum quidem ad rem medicam pertinentia: elegantioreſ autem medicum omnino ATHENÆUM perlegere oportet, et tenere. m)

m) Haller Biblioth. pract. T. 1.

Pulcherrimum SICYONII ARIPHRO-
NIS in sanitatem Pæana in fine Libri XV.
adducit.

Υγεία πρεσβίστα μακάρων

Μετὰ σὲ ναίοιμι

Τὸ λοιπόμενον βιοτᾶς.

Σὺ δὲ μοι πρόφρων σύνοικος εἶης.

Εἰ γὰρ τις ἢ πλέτε χάρις, ἢ τεκέων

Τᾶς ευδαίμονός τ' ἀνθρώποις

Βασιλίδος αρχᾶς, ἢ πόδων.

Οὐς κρυφίοις ἀφροδίτης ἄρκυσιν θηρεύομεν,

Ἢ εἴτις ἄλλα θεόθεν ἀνθρώποισι τέρψις,

Ἢ πόνων ἄμπνοᾶ πέφανται,

Μετὰ σεῖο μάκαιρα ὑγεία

Τέθηλε πάντα, καὶ λάμπει χαρίτων ἕαρ.

Σέθεν δὲ χάρις, ἔτις ευδαίμων.

Sanitas ex omnibus beatis Diis maxime
veneranda :

Tecum o utinam degam, quod vitæ superest.

Benevola mihi contubernalis esto.

Nam si quæ voluptas ex divitiis, aut prole
percipitur,

Aut regio principatu, quod fortunatum ducunt
homines

Aut amoribus, quos occultis veneris callibus
venamur,

d

Aut si quod aliud est mortalibus benignitate
 Deorum oblectamentum.
 Aut si laborum quietem, intermissionemque
 nanciscimur,
 Tecum o diva fanitas, florent omnia, tecum
 renitet gratiarum ver.
 Absque te vero nemo felix.

CLAUDIUS GALENUS.

Quæ in diversis, iisque plurimis *GALENI* libris diætetici argumenti sunt, secundum varias classes, in quas ab eruditis *GALENI* scripta digesta sunt, *HALLE-RO* duce, recensebo.

Cl. GALENI paraphraſtae MENODOTI ſuaſoria ad artes oratio, LUDOVICO BELLISARIO interprete. Aliqua hic dicit adverſus victus rationem, et athletarum inſtituta, quæ a vera valetudinis cura longe differunt.

Ars medicinalis, NIC. LEONICENO interprete. Sanitas, ejus ſigna per ſingulas corporis humani partes. Cauſæ valetudinis, invaletudinis.

De temperamentis Libri III. THOMALINACRO interprete. In prioribus duobus libris agitur de temperamentis corporis univerſi, et de ejus partium temperamentis agnoſcendis.

Commentarius in HIPPOCRATEM de aere, aquis, et locis, JANO CORNARIO interprete. De aquis vitiosis, et noxiis; de morbis ex anni temporibus, exque ventis orientibus.

De alimentorum facultatibus, Libri III. MARTINO GREGORIO interprete. Libro I. vires alimentorum docet alias atque alias esse, ut corpora aliter se habent, in quæ ingerantur. Ita cum homo ex pituitæ copia ægrotaret, se bono eventu medicamenta acria dedisse: cum vero idem homo post acres cibos similia sumere tentasset, merito male habuisse. Cerealium Panificia.

Libro II. Fructus horæi. Palmulas virides nocere. Oleæ; asparagi, eorum facultates.

Libro III. de carnibus, etiam vulpini, etiam aliis animalibus, cuniculis, gliribus, urfis. Pisces, eorum proprietates, contra PHILOTIMUM. Omnia animalia percurrit, deque eorum bono malove succo judicat.

De succorum bonitate et vitio, JULIO ALEXANDRINO interprete. Exempla morborum natorum ex alimentis mali succi. GALENUM se ipsum tutum præstitisse abstinendo a fructibus horæis, cum circa dia-

phragma inflammationem metueret. Cibi variarum qualitatatum, adtenuantes, increfantes. Fungos valde noxios esse, boletis exceptis. Lactis de mamma sucti in tabe; Iterum de ciborum bona malave indole iudicium per singula. Tum vini, mellis, nivis usus.

De adtenuante Diaeta, MARTINO GREGORIO interprete. Olera, cerealia, et reliqua recenset, quæ putat succos nostros adtenuare; tum fructus, radices, carnes, pisces. Rejicit vulpinam, et aliarum ferarum, etiam equorum, et afinorum carnes. Vini varietates.

De sanitate tuenda Libri VI. THOMA LINACRO interprete.

GALENI jam senis opus est. Libro I. tradit infantum curam ab ipsa nativitate repetitam. Balneum frigidum Germanorum improbat. Libro II. de exercitatione agit, et de lucta. Fuse in THEONEM, qui cum de frictionibus uberrime ageret, sex tamen frictionum species prætermiserit. Libro III. de lassitudinis cognitione, et curatione, de tiliarum etiam inflammatione. Libro IV. de sanandis lassitudinibus, quæ oriantur ab exercitatione. Curatio adfectus ulcerosi. De apomelite, et oxymellite. Olea.

Acopa. In plethora utique sanguinem debere mitti. Libro V. senum victus ratio traditur. ANTIOCHI medici, et TELEPHI grammatici sæcularis senis Diæta. PRIMOGENES intermisso balneo, continuo in febrem incidebat. Libro VI. victus ratio ad quamque intemperiem apta, ad singula viscerum vitia, ad calculum, ad abundantiam.

Ars tuendae sanitatis, num ad medicinalem artem spectet, num ad Gymnasticen. Liber ad Thrasibulum, JUNIO PAULO CRASSO interprete. Veram Gymnasticen ad medicos pertinere, adque Hippocratem. Spuriam esse artem jatrapiotarum, contra quam multis disputat, quæ versetur in mechanico opere, unctione, frictionibus, quæ omnia medicus imperet, neque sua manu administret.

De inaequali temperie, THOMA LINACRO interprete. Parvus libellus de causis inæqualis intemperiei, in toto corpore, et in quaque parte corporis.

De marcore senili A. GADALDINO interprete. Morbum in senio vitari non posse, cum humor nativus perpetuo diminuat, contra sophistam, qui homines immortales reddere volebat. Balnei usum con-

tra PHILIPPUM defendit, et aquæ potum. Alia species tabis cum erysipelaceo vitio. Nihil utilius esse lacte de mamma tracto.

CÆLIUS APICIUS.

Ejus decem de *Arte coquinaria* libros, qui valde corrupti ad nos pervenerunt, possunt ad scriptores diæteticos censerî, et est, quod mireris, quantum luxuriosæ gentis ROMANORUM gustus a nostro distet; nemo enim nuperorum mortalium, vel medicinæ nomine delicias illas veterum deglutiverit n).

PORPHYRIUS.

Philosophus, SEVERI ævo natus, imperante DIOCLETIANO obiit. Is entusiasmo non purus librum scripsit, *de abstinentia, seu non necandis ad epulandum animalibus*. Victum vegetabilem, etiam ultra verum laudat, expositis tamen etiam contrariæ sententiæ argumentis. Antiquissimos mortales carnibus abstinuisse. Primum, qui iratus bovem occiderat, sponte in exilium abiisse. Oraculi jussu etiam reliquos cives carnibus epulasse, inque partem

n) Hallerus Bibl. Præf. p. 277.

venisse sceleris. Pygmalionis ævo carni-
esum invaluisse, frustra irrogatis poenis.
Brachmanes. Aegyptios ipsos carnibus ab-
stinuisse. Esse suum animalibus ingenium,
suas artes o).

ANTYLLUS.

Scriptit libros *de auxiliis, quæ fiunt p)*.
Multa habet ad victus rationem, et cor-
poris exercitationem facientia. De ambu-
latione, cursu, gestatione, oricelasia, na-
tatione, palæstra, umbratili certamine,
gesticulatione, saltu, pila, de ingressu per
loca sicca, de halteribus contorquendis,
de armorum pugna, quæ omnia videntur
florentis Romæ temporibus respondere.

ORIBASIIUS.

Multa, eaque præclara ORIBASIIUS
ex Veterum libris collegit, quæ ad
tuendam sanitatem, & curandos morbos
pertinent q). Quæ autem JULIANI IM-

o) Hallerus Biblioth. pract. p. 277.

p) Oribasius collect. L. VIII.

q) Oribasii Sardiani synopsis ad Eusthatium fi-
lium Libri novem. Joan. Bapt. Rasario Navariensi
medico, interprete. Venetiis apud Paulum Manutium,
M D LIII. 8.

PERATORIS jussu in septuaginta libros digesserat, postea in usum EUSTATHII filii in Epitomen quamdam redegit, atque novem libris comprehendit. *Primo* autem *Libro* ea potissimum continentur, quæ ad sanitatem conservandam pertinent. Hinc de variis præfidiis agitur, quibus homines firmum tenere corpus, & morbos præpedire student: nempe de frictione, de variis exercitationis generibus, de vociferatione, de prophylactico venæsectionis, cucurbitularum, hirudinum, clysterum, balneorum usu &c. &c. In *quinto Libro* de symptomatibus graviditatem comitantibus, de nutrice eligenda, de educatione pueruli, de victus ratione cum infantum, tum reliquarum ætatum, de victu peregrinantium, navigantium, & de optima temperatura universi corporis, & singularium ejus partium, agitur. Duos hic ex ORIBASIO titulos transcribam, quorum unus rationem *victus infantum & reliquarum ætatum*, alter autem, libro *sexto de morbis publicis* agit.

Ratio victus infantum.

Infantes, quique lactentes non sunt, sinendi sunt, ut liberius & hilariter vivant; exercitationes atque alimenta lenia sunt

iis præscribenda. Ab anno sexto et septimo pueri, et puellæ litteratoribus blandis, humanisque tradentur: ita enim quieto animo, et jucunde perdiscent; atque animi quidem quies ad bonam corporis educationem valet plurimum. Cum duodecimum annum agunt, ad grammaticos jam et geometras adducendi sunt, et corpus exercendum est. A quarto decimo anno usque ad vigesimum primum annum exercendi erunt in mathematicis disciplinis, et philosophiæ studio, & propter corporis robur plures exercitationes erunt iis imperandæ, ut animo et corpore laborantes venereis uti prohibeantur. His etiam auferendum vinum est. Ætati florenti absolutæ victus ratio, animi, et corporis convenit.

De morbis publicis.

Morbos publicos, communesque nominant, qui multis simul accidunt, quarum ut origo, ita etiam est causa communis. Cibi igitur communes, pravi, communes morbos pariunt: potio item aquæ vitiatæ, nimia ærumnæ, consueti labores omitti, inedia, repletio dum fames vagatur, aut cum summa est annonæ vilitas: regionum quoque naturæ communes mor-

bos inferunt, quæ interdum palustres sunt, nonnunquam barathrum vicinum habent, quod exitiosum, pravumque vaporem exhalat; atque hæc quidem accedere continenter consueverunt. Aër vero nos circumstans, qui tum calidior, quam par est, tum siccior, tum frigidior, tum humidior effectus naturas nostras continuo mutat: in alias namque causas neque omnes simul incidimus, neque in iis totos dies versamur: at aër nos ambiens, et omnibus est foris circumfusus, et per inspirationem attrahitur: ergo necesse est corpora animantium pro aëris temperaturæ commutationibus affici. Hæc, qui norit, non solum qui morbi in quaque constitutione futuri sint, prælagiet; sed etiam contrarium immoderati circumflui aëris temperaturis victum instituens, ne fiant, prohibebit. Corpora autem, quæ morbo alicui ex propria intemperie vicina sunt, ea a simili circumdantis nos aeris temperatura deprehenduntur: quæ vero temperaturam coeli contrariam sortita sunt, ea præterquam, quod ab aëre non afficiuntur, fiunt etiam meliora, cum temperatura contraria immoderationem corrigat: quod qui cognoscit, is secundam valetudinem tuebi-

tur, contraria corporibus inducens, partim refrigerantibus utens, si ita usu veniat, partim calefacientibus aquæ perfusionibus refrigerans; itemque otio, et alimentorum penuria, et potione largiore; calefaciens autem operimento, laboribus, cibo liberaliore, et quandoque parcior. Jam vero si quis pyram incendat, is non mediocriter aërem prius humidum, ad calidum siccumque permutaverit: quemadmodum ajunt **ACRONEM** Agrigentinum fecisse.

Præmissa hac brevi in Diæteticæ historiam introductione, pauca nunc de ipso **LOMMIO**, ejusque in **CELSUM** Commentariis dicenda mihi supersunt. Erat **JODOCUS LOMMIUS** Belga Buranus, de secta Hippocratica, et diligens morborum observator. Amplissimus hic in **CELSUM** commentarius totus ex Veteribus constat, ut ex iis non solum, quæ veterum medicorum fuerint de rebus diæteticis placita, sed **CELSI** præsertim in hanc scientiam merita evidentissime cognoscas. Proderunt autem *Commentarii de sanitate tuenda in Librum I. A. C. CELSI Lovanii 1558. 8. recusi Amsterodami 1745. 8.* Atque ob hanc potissimum causam, novam utilissimam

libri editionem curavi, ut juniores medici, quos veterum medicorum amor tenet, varias, et non raro oppositas Græcorum et Romanorum de tuenda valetudine sententias brevi quodam in compendio possint intueri. Accedit quod ipsum LOMMIUM nostrum, quem acre in disputando iudicium, et CELSIANA dictio iis omnibus plurimum commendant, qui elegantiores literas, et præcipue medicæ artis historiam diligentius colunt, fore charissimum confidam.

ILLUSTRISSIMO
HEROI
GULIELMO A NASSAU
PRINCIPI AURANTIO,
COMITI BURANO, &c.

Jodocus Lommius Buranus.

S. D.

Quos anno superiore de Sanitate tuenda
commentarios tibi, clementissime Princeps,
manu scriptos dicaveram, eos jam typis ex-
cufos sub auspicio nominis tui emifi. Videre-
tur profecto ferius id a me factum, quam aut
tuæ expectationis, aut meæ promiffionis ratio
ferat, nifi hoc opus femel remiffum, & inter-
jectis dein aliquot menfibus fecundo veluti ad
Momi lucernam (ut fic dixerim) inspectum, ju-
dicaffem parum bene maturuiffe. In ejus ita-
que elimationis curam, more æmuli lectoris per-
tinacius intento, labor mihi per fingulas par-
tes crevit, comperique id minime vanum effe,
quod apud Platonem legitur, δευτέρων ἀμειγόνων.

A

EPISTOLA

At dissolvi me tandem hinc, idemque opus, etsi non usquequaque perpolitum, multis tamen in locis castigatius feci. Quod quidem nunc feliciter natum credam, si ut semel fortunatum, tuæ cum placeret Celsitudini, fuit, ita eam in hac nova luce promerebitur vivacitatem, qua sæpe caruisse, maximorum etiam virorum monumenta, fatali quadam temporum malignitate, deprehensum est. Idque vel noster hic abunde docet AUR. CORNEL. CELSUS, tanta sæculorum pene omnium exercitus injuria, ut paucis lectus, vix ullis intellectus, plerisque omnibus ne Medicus quidem habitus sit, vir alioqui (quod confidenter dicam) eminentissimus, non solum in medendi scientia, sed in iis etiam studiis, quæ nomen sibi ab humanitate vindicant. Cui rei fidem propositum facit opus, breve quidem illud, at eximie cum elegans tum eruditum, suppellectilem continens raram ac preciosam, ditissimos artis Apollinæ thesauros, adeo ut accuratius id intuenti, e beatissimo illo pectore Hippocratis fluxisse res, sermo (ab ipsis formatus) Gratiis credatur. Itaque major mihi alacritas, studiumque commentandi majus injectum est, quoniam id videbam tanto jure in hoc me autore licere facere, quanto in aliorum veterum secundum Hippocratem nemine. At enim vereor, ne,

NUNCUPATORIA.

quemadmodum Alexandrum Macedonem non nisi ab unico pingi Apelle, & fingi a Lyfippo fas erat, sic ego quoque Latinorum Medicorum primati CELSO parum doctus fervierim interpres. Verum ignoscent boni virium imbecillitati mearum, si parum pro tanti autoris dignitate præstitisse videbor, favebunt autem benevolo studio, quod humilioribus me rebus accommodans, parvos artis tyrones pleniore demeritus sim officio. Horum enim commodis ut quam maxime fervirem, nulla mihi res ad sedulitatem defuit. Etsi intelligo conatum hunc meum nonnullis superfluum esse videri, editis nuper in lucem ante me emendatissimis *Hieremiae Brachelii, & Gulielmi Panthini* in hunc autorem commentationibus. Euge, bene habet. Prævertit operis éditionem invidia, haud leve (uti spes est) quantulæcunque in eo virtutis omen. Næ isti censores parum intelligunt materiem hic abunde suppetere, dignam arte & ingenio multorum: tum ejus esse notæ scriptorem CELSUM, ut eum commentari nunquam quisquam plus satis possit. Jam vero, quod bonorum istorum me dicunt hoc scripto minuisse autoritatem, id factum nego. Nusquam enim quemquam licenter lacessivi, ubique sobrie atque humaniter meam sententiam rebus controversis interposui. Ad quam

EPISTOLA

utique rem non defuit mihi exemplum viro-
rum haud incelebrium, quo exemplo id licere
me sine vituperio facere, quod illi cum glo-
ria fecerunt, putavi. Accedit illud, quod reti-
cere nullo modo possum: libentissime hic me
a complurium Neoticorum defecisse scriptioni-
bus, quos non pudet, cum nihil ipsi pro fa-
cultate proprii ingenii cudant, aliena turpiter
miscere, & ex veterum scriptis bonis nova fa-
cere non bona. Hoc si quid a multis aliis
revera differam, non tam fas est a me nunc
dici, quam eruditorum hominum decerni ju-
dicio, idque ne contumeliosus esse, aut arro-
gans videar, eorum secutus exemplum, qui
alienos convellendo labores, avare pretium la-
boribus statuunt suis. Sed redeundum ad **C E L-**
S U M est, quem sane miror jam inde ex tam
longo ævo interpretibus carere. **GALENUM**
vero tot otiosis undique onerari commentariis,
autorem haud ita male perspicuum, sed & ef-
fusissimo quodam ingenii luxu plus satis mul-
tum, ac mole (quod dicitur) laborantem sua.
Quanto vero gloriosius fuerat, doctam illam
priscaeque disciplinae æmulam **C E L S I** brevi-
tatem scriptis locupletasse, neque adeo obstric-
te Græcorum favisse studiis, ut nulla subinde
fuerit religio Romanis ingeniis oppedere? Illud
a Marco Cicerone dictum semper probavi

N U N C U P A T O R I A.

omnia Latinos invenisse melius quam Græcos, aut ab illis accepta fecisse meliora. Mitto reliqua. Vel hoc certe nomine coli CELSUM oportuit, quod posthabitis *Diocle*, *Praxagora*, *Herophilo*, *Asclepiade*, idque genus superiorum temporum Archiatri, totum pene se ad unicum applicuerit *Hippocratem*, quem ipse virum arte facundiaque dicit insignem & medicinæ omnis parentem. Simileque veri est, eo ipsum magistro edoctum, ut cætera omnia, sic hæc ista quoque conservandæ sanitatis præcepta posteritati diligentissime scripta reliquisse. Quo minus placet, quod fieri hodie a multis video, fidissimum hunc valetudinis aspernantibus custodem, & versiculos aliquot inconditos, scholamque, nescio quam, sequentibus Salernitanam, qua vix scio, an quicquam in literis medicorum inelegantius sit aut indoctius. Sed est hæc studiorum pestis optimis quibusque professoribus non infrequens, ut contemptione sui laborent, ejusdemque tanta aliquando vis fuit, ut vel ipsum oblitterasset *Hippocratem*, tanta alioqui doctrinæ fama clarum, nisi jamjam labefienti suppetias tulisset divinitus missus *Galenus*, qui subobscura ejus autoris scripta subtilius excolens, scriptis illustravit suis, venerabiliaque hominibus saeculorum omnium effecit. Id exemplum mihi quoque erga CEL-

EPISTOLA

SUM usurpare volenti ingens incessit cupiditas, ruinofum hunc Autorem sublevandi, proque suo merito sempiternæ posterorum consecrandi memoriæ. Delegi autem primum operis librum ea de causa, quod ad plurimos ipsum pertinere scirem, seu optima continentem præcepta tutandæ sanitatis, sine qua nihil in vita suave ne ipsis quidem esse Regibus potest. Ergo ut primum longos elucubratus labores, factus mihi voti compos visus sum, cœpi egomet mecum cogitare atque animo circumspicere, unde Herculem mihi aliquem *αλεξίκακον* contra obtrectatorum maledicentiam asciscerem, in eaque jam tum deliberatione aliquoufque fluctuantem tua me Celsitudo, Heros Illustrissime, confirmavit, commodissima quidem visa illa, cujus defendi patrocínio, & dignitate ornari noster libellus possit. Magnæ mihi sese rationes obtulerunt nuncupationis hujus. Primoque omnium obversabatur animo ingentium recordatio beneficiorum, quibus conjugis tuæ, clementissimæque Principis nostræ, partim avus fœlicis memoriæ Florentius ab Ecmonda, partim parens Maximilianus (ambo animis, ambo insignes præstantibus ausis) meum piæ recordationis parentem olim affecere, concesso per omnem Buræ Comitatum Secretarii (quod vocant) officio, quam equidem intuitus benefi-

centiam, partium mearum duxi munusculo, hoc
 litterario (quando alio nequeam) utcumque stu-
 dere rependere. Quin veniendum ad te potius,
 generosissime Princeps, qui auspiciatissimi con-
 nubii fœdere noster factus, rerum Burensum ha-
 benas, post fortes illos viros ipse fortissimus
 tenes, tuosque tibi cives tot tantisque benefi-
 ciis indies demereris, ut vel exarserit mihi hinc
 animus cupiditate, primitias studiorum meorum
 Amplitudini consecrandi tuæ. Quod inceptum
 eo majori voluptati tibi fore confidebam, quo
 plus valere par erat officium & clientis & civis.
 Postremo haud me fefellit, quantum ornamen-
 ti vigiliis his ex præfatione sit accessurum no-
 minis tui; cujus magnificentiam nunquam æsti-
 mare pro merito possum, nedum oratione con-
 sequi. Tam enim defunt ingenio verborum
 pondera, quam materiæ ingenium deest. Quo
 facilius etiam abstinebo claritatis tuæ præco-
 niis seu infinitis, deficiamque a vulgi sententia,
 qui talia vehementer suspicere, pauloque adu-
 lantius usurpare hoc loco posset. Illud appri-
 me certum puto, tuas illas nobilissimæque fa-
 miliæ tuæ virtutes adeo jam ubique terrarum
 suis florere laudibus cœpisse, ut his mea cele-
 bratio nihilo plus conciliare splendoris possit,
 quam clarissimæ meridiei. Ipsæ siquidem sic
 sunt optimo statu, ut sublimi oratione, qua

EPISTOLA NUNCUPATORIA.

caremus, nihil sint accepturæ decoris, vulgari, quæ nobis magis propria, multum videantur amissuræ. Vale patriæ decus. Tornaci Calendis Decembribus, anno post natum Christum 1557.

[Faint, mostly illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page. A dark horizontal line is visible across the middle of the page.]

JODOCI LOMMII

IN

CORNELIUM CELSUM

PRÆFATIO.

Reputarem ego modis omnibus felices literas, ceu veras animorum cultrices, strenuasque nominis nunquam intermorituri patronas, summæ voluptatis, inexhaustæque plenas illecebræ, si non tam iniquos passim haberent in se iudices. Siquidem ita existimo: ut plures semper (quod ille ait) malos, sic et indoctos esse, qui ea, quæ non didicerunt, non solum male judicant, sed etiam odio persequuntur. Adhæc permultos etiam, qui sese videri eruditos student, video nihil prope modum quod ipsi non fecerint, probare, aut si forte quid in alio laudant, id temerario

PRÆFATIO.

animi impetu, non consilio facere. Et quid inter hæc quæso peritioribus accidere molestius potest, quam tot exhaustis omni vita laboribus, tanto et roboris corporei, et rei familiaris impendio ingratham posteritatem iuvisse? Quid vero calamitosius, quam eo rem rediisse, ut in cultissimo illo agro disciplinarum infelix lolium, et steriles dominantur avenae? Exercuit hæc studiorum pestis aliquotusque præcipuae notæ Medicos, Græcos pariter atque Latinos, idque haud ita multis ante nos annis, cum sola coleretur Arabum prosapia, ejusque princeps (uti prædicant) Avicennas. At vicere tandem barbariem ingenia, studioque hominum, quos nuper vidimus, effectum est, ut desertis Arabicæ gravibus lacunis, saluberrimi cœperint Græciæ Latique fontes peti.

Unicus videbatur isti calamitati superesse Celsus, auctor siquis alius, ut excellentissimus, ita summa contra sæculorum pene omnium depressus invidia. Nam sua ætate pauloque post deserte ipsum vixisse, hinc sciri potest, quod plerique veterum Litteratorem, non Medicum censuerint. Sequuntur hos pari invidiæ studio nostri homines, quibus tuendæ valetudinis causa magis vi-

P R Æ F A T I O.

deo arridere Salernitanorum nugas, quam tanti viri salutaria, vetustissimisque sanitatis professoribus agitata præcepta. Nec desunt etiam, qui Barbarorum aliquem sequi curandi magistrum malunt, quam Celsum Hippocraticæ alumnus disciplinæ. Scilicet veterum hunc clamitant ingenio fretum, non sua natura, centones undique compilasse suos, præceptionumque verarum latorem non verum, immortalitatem eloquentia, non arte quæsisse. Contendunt alii, hoc ejus opus ἄτεχνον esse ex Empiricarum observationum conflatum farragine, neglectaque actionum naturalium, et causarum latentium quæstione mutilum. Nimirum hanc artis partem, tam alioqui curantibus fructuosam, quia is ipse (inquiunt) præteriit, etiam nescisse videatur, et ob id ne Medicus quidem esse bonus potuisse. Alios videas, qui methodum reperiri aliquam in his præceptis negant, confusis inter se (ut ipsi asserunt) Medicinæ partibus. Adeo nulla virtus expers calumniarum et invidiæ est. Istis ego refractariis hac præfatione responsum volo.

Incipiam ab iis, qui Celso ascitis (ut aiunt) aliunde coloribus, specioso furti notam inurunt, nihil ipsum posteris reliquisse

P R Æ F A T I O.

arbitrati tanta doctrinae fama dignum, concinnatorem fuisse alienorum honorum, nihil attulisse suorum, functum scilicet vice cotis, quæ etsi ferrum acuit, exors tamen ipsa secandi est. Atqui id ita non esse, hinc primum intelligas licet, quot tot artis quæstiones a nemine ante, quod constet, expeditas, ipse tam erudite, tamque diserte verset, dein quod his ipsis, unde mutuatus sua videri posset autoribus, tot et modis et locis dissentiat. Scilicet ubi deliberatur, debeat necne acute laborantibus puero, seni, aut gravidæ mulieri sanguis per incisam venam emitti, vel ipsius castigavit Hippocratis inutilem metum, interesse referens, non quæ aetas sit, neque quid in corpore intus geratur, sed quæ vires sint. Est, ubi nimium concise, ne dicam diminute ab eodem autore scripta Celsus necessariis supplevit auctariis, ut hoc loco: Curari (inquit) oculos sanguinis detractio, balneo, vino, vetustissimus autor Hippocrates memoriae prodidit. Sed eorum tempora, et causas parum explicuit, in quibus medicinae summa est. Quid, quod in examine dierum criticorum gravissime contra Hippocratem perorat, idque jure faciat necne, malo ego injudicatum relinquere, quam impius esse inparentem artis nostræ videri.

P R Æ F A T I O.

Producam veteres alios, quibuscum saepe acris ipsi pugna est. Incipiam ab Asclepiade, quem etsi nominat multarum rerum, quas ipse quoque secutus sit, autorem bonum, in his fere redarguit. Primum, quod vomitus atque alvi ductionis usum tanquam inutilem sanis temere ademerit; parum intelligens, quam ista saepe et temporum, et corporum ratio faciat necessaria. Dein, quod acute febricitantes, gestationibus, luce, vigilia, siti afflixerit, tororis potius vicem exhibens, quam medici; cujus tamen esse officium ipse alias Asclepiades dixit, ut tuto, ut celeriter, et jucunde curet. Idem neque cibum febricitantibus recte dedit, quando id, inclinata quidem febre, sed adhuc tamen inherente fecerit, ab antiquis desciscens, qui accessione diutius intermittente, rectius integerrimis corporibus alimentum offerebant. Atque haec Celsus apud Asclepiadem notavit.

Ab Erasistrato dissentit in emittenda per ventrem hydropicorum aqua. Ab Heraclide Tarentino in curanda quartana. A veteri Cleophanto: quod is in febricitante tempora sumendi vini male legerit. A methodicarum communitatum repertore

P R Æ F A T I O.

Themifone, quod nullius causae notitiam ad curationem pertinere falso existimavit. Adeo vero firmis argumentis istorum opiniones omnium Celsus convellit, ut locus non sit aut defendendi, quod ab ipso reprehensum, aut arguendi, quod defensum est. Quo credibilius est, eum ista quidem omnia et probe scisse, et longo artis usu, sedulaque veterum lectione non carptim, non tumultuario didicisse. At enim Plinium (si Diis placet) nobis obtrudunt, qui Celsum authoribus litterarum, non Medicinae Professoribus accensuit. Nae ipse, quod res est judicasset, si, cuius notae alterum falso insimulat, eam vere in se reprehendi posse intellexisset. Quis enim hodie paulo doctior nescit, quam Plinio verba supersint, desit medendi scientia? Sed fellit hunc manticarum illa Platoniarum altera, quam pone gestamus nostrorum plenam vitiorum, altera ante oculos collo suspensa, quae aliena continet. Rectius Fabius (me iudice) Quinctilianus Celsum in Philosophorum etiam habuit numero, supraque rei oratoriae, militaris, et rusticae traditionem, Medicinae quoque praecepta litteris prodidisse testatus est.

P R Æ F A T I O.

Venio nunc ad eos, qui nil nisi Empiricum hoc esse opus contendunt, et omiffis naturalibus, hac artis parte mutilum. Atqui (o boni) non erat id Autoris institutum, ut physicum his libellis institueret, sed ut medicum, universae naturae ante prudentem. Ideoque nuda praeceptorum traditione contentus, simplicem artis ductum sequi maluit, quam diverticulis impeditam sequens viam, aliena docere videri, non sua. Temere enim medici physiologiam sibi vindicaverunt ad professores rerum Naturae pertinentem, quam credibile est non alia de causa veterum quoque Medicorum libris agitari cœpisse, quam quod debilis medendi ars absque rerum cognitione sit. Etsi enim ejusdem est, finem ipsum, et quae finis gratia sunt, cognoscere: non ideo tamen necessario ad unum omnia referuntur disciplinae genus. Non coit veluti pars naturalis cum scientia medicinae, sed praebet duntaxat necessaria, et amica ministeria. Quaelibet enim ars ex notione finis tota constituitur, quae finis in medicina actionum corporis incolumitas est. Eam Celsus hoc toto volumine molitur, physicis supersedens theorematis, quae ipsa seorsim propria comprehensa scientia sunt. Placuit Galeno utrumque hoc miscere studium,

P R Æ F A T I O.

non placuit Celso. Tradit elementa literarum grammaticus, non orator: visum tamen est Fabio ista quoque libris oratoriis praefigere, non visum est Tullio. Ducit sua quemque praecipendi voluntas: utque hominis diligentis est, nihil quod ad rem quoquomodo facit, omittere, ita vicissim rerum prudentis est, quamque artem suis adstringere finibus, ad certos relatam professores. Nam quominus omnia possint ab omnibus absolute praecipari, et immensitas disciplinarum, et vitae brevitatis facit. Proin non potest nostri auctoris institutum non probari, qui, ne binis doctrinae generibus unus discipulum oneraret magister, sic partienda docentium officia putavit, ut corporis naturam abditasque scrutari causas, professoris rerum naturae sit, sanitatem tueri incolumem, et amissam redde, medicinam sectantis.

Fecit hanc veluti propriam Celsus viam, idque, ne arcanarum rerum versando conjecturas, Philosophi fungeretur officio, non suo. Est namque sui quisque operis artifex utilior. Quocirca ad sapientiae scholas relegata, elementorum, temperaturarum, caloris innati, succorum, spirituum, potentiarum atque actionum indagine, id solum hoc opere Celsus egit, quo

mo.

P R Æ F A T I O.

modo secundam Valetudinem tueri, quomodo corrigere adversam possis. Sunt nempe haec propria medici officia ad unicum ambotententia sanitatis finem, praecipuumque horum medendi est, unde homines jam inde ab initio artem ipsam, medicinam, et ejus professorem, medicum appellaverunt. Eaque inductus causa Celsus unicum duntaxat libellum περι ὑγιεινῶν, plures περι θεραπευτικῶν accuratissime scriptos reliquit. Non aspernor Physiologiam tanquam curanti inutilem, sed ad alium rejicio praeceptorem. Ejus cognitio necessaria quidem medico, at non propria professio est. Recteque (puto) sapientissimis ante nos viris placuit, optimum aditum ex logica, naturalique scientia ad medicinam esse, ibique demum optime incipere medicum posse, ubi idem ante physicus desiisset. Atque utinam hodie quoque consuetudo teneret, ut, quemadmodum Plato ἀγεωμέτρητον καὶ ἀμυστον ab auditorio suo eliminavit, sic etiam ἀφισιολογίῳ omnis interdicator accessus ad humanae salutis praesidem artem.

Didicit (fateor) utramque pariter scientiam antiquitas, tum cum medicina sapientiae pars haberetur, idque factum scio iisdem in scholis, iisdemque sub authoribus Pythagora.

B

P R Æ F A T I O.

Empedocle, et Democrito, qui non contenti more Podalyrii, atque Machaonis, ulcera ac febres agitare, naturalium quoque scientiam edocti medicinae annexuerunt. Atamen scidit dein se studium, magnique Hippocratis industria factum est, ut certis finibus medendi officium ab studio naturalis sapientiae sejungeretur. Meritoque is ipse auctor, per quem autorem salutaris haec nobis professio increvit, et colendus omnibus, et sedula lectione evolendus est, quod compendio atque arte summa utramque tum limitarit, tum excoluerit partem. Caeterum sicuti hujus exemplo atque testimonio idoneus esse Medicus, nisi idem protinus et Physicus sit, non potest, ita in eum hodie res rediit locum, ut in alterutram partem fere plus justo simus proclives, aliis inani circa naturalia studio senescentibus, aliis praepropere, illotisque (ut aiunt) manibus ipsam agitantibus medendi artem; ex quo incidit, ut ii perpetua rerum ignoratione ceu ineluctabili Tyrannide medendo praepediantur, illi cum Philosophos sese videri impense bonos student, evadant subinde Medici non boni.

Divisit Celsus vices professionum harum, sic, ut a Philosophorum schola petitis naturae

P R Æ F A T I O.

praeceptis medicina per se stare, non ad otiosas illas, etsi jucundas, de rebus disputationes, sed ad ipsam actionem servandamque sanitatem comparata. Decuit severior haec docendi lex Majestatem Romani Scriptoris, qui ne fines artis suae transfiret, propriis sese continuit septis, a secundae valetudinis orsus praecipitationibus, moxque ad ipsos progressus morbos, horum curationem ratione ac via instituit, indicationes sequens, neque ab ipsa duntaxat sumptas aegritudine, ut Methodici, communia quaedam morborum intuentes, neque ab ancipiti casuum observatione, ut Empirici, quibus morbi inquisitio extra artem medicina intra experimentum est, sed supra morbum ab ejus quoque evidentibus causis, obscuris non a cogitatione artificis medici, sed ab ipsa rejectis arte. Adhaec a viribus corporis (cujus idcirco cognosci actiones vult) a loci affecti natura, atque situ (quare Anato- men quoque proposuit) itemque ab aetate, sexu, consuetudine, vitae studio, aëre, anni tempore, cæli tempestatibus et id genus aliis. Cumque medicina ars quaedam sit tutandi sanitatem, et morbos depellendi non solum ratione, verum etiam usu comparata, videtur profecto nulla res ad plenam professionem rationalium, quos vocant, medicorum.

PRÆFATIO.

Celso defuisse, qui post subtilem illam, et a consilio tractam medicinam in loco aliquid etiam usui ipsisque concessit experimentis, tum curiose huc passim inter curandum respiciens, tum palam in operis sui proæmio professus, nihil magis ad medendi rationem ipsa conferre experientia.

Non possum mihi temperare, quin pleraque eorum, quae hactenus retuli, adducam ex ipso autore petita exempla. Ergo ubi de incisione venarum disputatur, ante omnia aestimari vires voluit, adeo ut si juvenis (inquit) imbecillis est, si mulier, quae gravida non est, parum valet, male sanguis emittatur. Idem post haec ipsius intuens morbi speciem, atque causam, itemque curandi corporis praesentem dispositionem, et sedis affectae positum, sic loquitur: Neque solum haec consideranda sunt, sed etiam morbi genus quod sit, utrum superans, an deficiens materia laeserit, corruptum corpus sit, an integrum. Et paulo post sic: Mitti sanguis debet, si totius corporis causa sit, ex brachio, si partis alicujus, ex ea ipsa parte, aut certe quam proxima, quia non ubique mitti potest, sed in temporibus, in brachiis, juxta talos. Jam vero febricitantem

P R Æ F A T I O.

nutriens ita scribit: Unum illud et semper et ubique servandum est, ut aegri vires subinde assidens Medicus inspiciat, et quamdiu supererunt, abstinentia pugnet, si imbecillitatem vereri cœperit, cibo subveniat. Et paulo ante haec: Refert inquit qualis morbus sit, quale corpus, quale cœlum, quae aetas, quod tempus anni. Idem alio quoque loco differre ait pro natura regionum genera medicinae, et aliud opus esse Romae, aliud in Ægypto, aliud in Gallia. Caeterum huic parti cum satis datum sit, transibo ad eos tandem, qui hoc opus cavillantur, ut inordinatum nullaque digestum methodo. Horum ego impudentiam eo molestius fero, quo magis religiose ab autore servatum, quod ipsi requirunt, video. Tanto enim artificio partes Medicinae omnes disposuit, interque se apposite commissas devinxit, ut post Hippocratem, atque Galenum, invincibiles seculorum omnium ἰατρονομίας, nemo sit qui ipsi non dicam anteferri, sed ne conferri quidem jure possit.

Nempe primo statim libro praecipiens, quemadmodum sanis hominibus agendum sit (ὑγιεινὴν hanc partem Graeci nominant) sequentibus ipsos agitat morbos primum, quae

P R Æ F A T I O.

corpora his pateant, mox quae tempora anni, et aetates edocens, sic ut ex his non aegre colligi multiplex causarum genus possit. Absolviturque hoc loco tota (ut Graece dicam) ἀιτιολογικὴν. Nam cur autumnus plurimos opprimat, causam refert inaequalem caloris, frigorisque intemperiem. Idem, quod senectus longis morbis pateat, frigiditati tribuit; quod juvenus acutis tentetur, calori. Ver fusione succorum lippitudines, pustulas, haemorrhagias, gravedines, et phlegmonas creat. Æstas febres acutas. Autumnus quartanas facit. Hyems tusses, capitis dolores, et viscerum obstructions inducit. Aquilonem tusses sequuntur, horrores, urinae retentiones. Auster aures hebetat, sensus tardat, caput gravat. Sed modum facio recensendis morborum evidentibus causis, quas Celsus primo secundi libri capite late, diserteque ex Hippocrate proposuit.

At videbitur forte nonnullis Celsus neque ita distincte ut Galenus, causas primitivas, seu evidentes descripsisse, neque satis circumspecte interna, seu morbum continentis expulisse, ceu idoneas, unde curationis peti consilium possit. Primum facile donaverim, alterum non omnino. Neque enim pro iisdem, puto, causis haben-

P R Æ F A T I O.

dae sunt, quas Galenus προηγμένας, Celsus evidentes vocat: ille enim tales duntaxat reputat externas, hic non has modo, sed illas etiam omnes, quae quoquo modo explorari, et certae fieri medico possunt. Nempe saepe cruditatem Celsus est intuitus, saepe succorum vitium, ex urina, dejectione, aut vomitu, animadversum, et inde curandi vias traxit. Tametsi scio, quam plurimarum causarum latentium notitiam Galeno fuisse, quae Celso defuit. Atqui id minime mirum, cum certa res sit, multos post Galenum etiam existisse, nostramque secuturos memoriam, qui indies magis magisque cumulata abditarum causarum praestent notitia. Alias invenit Hippocrates, alias Diocles, alias Galenus, nec parum multas amicus noster Fernelius. Semper enim adjicitur aliquid inventis majorum. Praeterea latentia haec minoris facit Celsus, non rejicit; extra artem esse vult, non extra artificis cogitationem. Plus in iis statuit probabilitatis, minus ἀποδείξεως. Quae sane opinio haud usquequaque absurda Celso, cum ejus seculi doctis fuit communis, qui in reconditis naturae causis, nihil satis firmi videbant, earumque incomprehensibilem esse quaestionem ex eorum judicabant discordia, qui de his disputarunt. Nam quae causae

P R Æ F A T I O

intus sanitatem praestent, quae morbos excitent, quo modo cibus concoquatur, quomodo trahatur spiritus, conjectura ipsi, non scientia comprehenderunt. Cujus autem rei (siquit Celsus) non est certa notitia, ejus opinio certum reperire remedium non potest. Cur enim id temporis potius crediderit aliquis Hippocrati, qui cibum dixit calore naturae concoqui, quam aut Erasistrato, qui atteri putavit, aut Plistonico, qui putrescere. Cur fidem magis qui derogaverit Aristotelis genero Erasistrato, qui febres oriri censuit transfuso in arterias sanguine, quam Hippocrati, qui id tribuit accenso in corde peregrino calori? Si sequendae rationes essent, singulorum existimabant esse non improbabiles; si auctoritatem, omnium videri juxta gravem; si curationes, permultos aegros ab aliis fuisse servatos, quos Hippocratis aegrotarum diu tractos non expedierant. Hac re animadversa plaris esse Celsus deputavit, manifestas tantummodo causas intueri, et ex his ducere curandi rationem quam ambitiose ea velle adstruere rerum abditarum dogmata, quae inter praecipuos aut ores erant controversa.

P R Æ F A T I O.

Sequitur nunc σημειωτικῆ signa conti-
 nens, quorum quae vis sit tam in praesa-
 giendis, quam agnoscendis aestimandisque
 affectibus praeter naturam, id quoque curio-
 se adnotatum a Celso est. Post haec jam ge-
 neralis quaedam curandi ostenditur via (θε-
 ραπευτικὴν Graeci nominant) cunctis ex aequo
 morbis inserviens. Ejus duo Celsus partitur
 capita. Alterum adjectionis deficientium,
 alterum detraktionis superfluum, secutus
 in hoc veterem Hippocratem, qui artem me-
 dendi nihil esse aliud affirmavit, quam πρόσθε-
 σιν καὶ ἀφαιρέσιν. Adjectio oblatis sit cibis. De-
 tractionem praestant missio sanguinis, alvi
 ductio, vomitus, sudor, abstinentia, et hu-
 jusmodi. Atque hisce rebus, tanquam idoneis
 quibusdam auxiliis materiis, fere universo
 morborum praecipueque interiorum succurri-
 tur generi, indicatione ubique a contrariis
 sumpta. Talibus enim depelluntur affectus
 praeter naturam. Estque haec summa libri
 secundi, eorum, quae commemoravi, vim at-
 que usum continentis. Caeterum ut sine co-
 gnitione universalium (in quibus methodus
 est) usus particularium (in quibus exercitatio)
 habetur inanis, ita sine hoc fructum illa nul-
 lum adfert. Quamobrem ne parum sit, ea
 duntaxat haberi praecepta, quae ad univer-

P R Æ F A T I O.

sum genus morborum pertinent, singulorum quoque propriam curationem tertio dehinc quartoque libro Celsus exposuit, antiquissimum secutus Hippocratem, qui mederi oportere dixit, et communia, et propria intuentem. Apposite vero hic viscera hominis atque intestina Celsus scrutatur, iis quae ante natura clauserat, per anatomen patefactis, quoniam ea cognitio necessaria videbatur, et ad inventionem loci patientis, et ad remedium usum. Videretur jam tota medendi exposita facultas, nisi materiae restarent auxiliorum, quibus morbi potissimum exteriores curantur. Etsi enim proximus ad sanitatem gradus est novisse morbum, ejusque curandi optimam methodum, frustra tamen id fuerit, non cognita medicaminum natura. Ipse namque morbus curandi modum docet, non praestat facultatem, quae facultas sita partim in natura, partim in suppetiis externis est. Hae vero ipsae, quas dico, suppetiae, in iis quae assumuntur, aguntur, vacuantur, aut foris incidunt constitutae, triplicem accipiunt secundum operationes differentiam: quatenus victu pugnatur, aut medicamentis, aut ipsa denique manu, primum διαίτην, alterum Φαρμακίαν, novissimum χειρουργίαν Graeci nominant. Victus ratio, (sub qua

P R Æ F A T I O.

cibum, potionem, somnum, vigiliam, inanitionem, totumque vitae studium more Hippocratis comprehendo) itemque pharmacia externis internisque malis juxta utilia sunt; Chirurgia accommodatior externis. Priora duo, quatenus internis profunt aegritudinibus, superioribus libris definita sunt, ubi generalis proponitur curandi via. Medicamenta externis incommodis opem ferentia quinto examinantur libro: itemque sexto, utrobique adjunctis morbis, qui in conspectum medici venire, et opere curari medicinae foris adhibitae possunt. Sequitur liber septimus, et post hunc octavus, quibus opera docetur manuarum, simulque ii affectus, quibus tali opus praesidio est, sive ossa illi occupent, (ubi σκέλετον humani corporis commodum quoque depingitur) sive quodvis aliud membrum. Estque haec coronis cum operis hujus, tum universae artis medendi, cui sine injuria, neque adjectum quicquam, neque demptum oportuit.

Quid igitur jam reliqui est, quin tueatur Celsus, quae in Medico requiruntur partes? Quis vero aut ita male doctus, ut non agnoscat, aut adeo demum vecors, quin odio persequatur eorum malevolentiam, qui tam licenter student octo hos libellos discentium manibus

PRÆFATIO.

excutere: opus, me hercle dignum, quod ab omnibus non legi modo, sed etiam edisci oporteat, seu opulentissimum rerum medicarum promptuarium, ex ipsissimo natum pectore Celsiano, membrisque absolutum omnibus, et optima cohaerens doctrinae via. Sunt haec eminentissima nominis immortalis insignia, quibus ita posthac, spero, florebit CORNELIUS ut virtutem quis dixerit ad totam posteritatem durasse, non pervenisse invidiam.

QUEM AD MODUM
SANOS AGERE
CONVENIAT.

CAPUT I.

Sanus homo, qui & bene valet, & suae spontis est, nullis obligare se legibus debet, ac neque Medico, neque Jatrapiata egere.

Sanitas omnis actionum corporis incolumitate, morbus illata his sensibili offensa discernuntur. Proin quisquis eorum intervallo corporum includitur, quae sanitate utuntur quam optima, quaeque evidenti actionum vitio fluctuant, is profecto & esse homo sanus, & sic appellari jure potest. Quoniam vero hic infinitae sanorum hominum latitudines, seu spatia quaedam quoquo versus porriguntur, visum est nobis operae pretium, omnem horum differentiam bipartito diducere, factisque classibus prima eos includere, quibus laudatissima constitutio corporis obtigit, sive partium primarum

spectes temperiem, sive modulum ac normam instrumentorum, aut amborum denique unionem. Videlicet hosce κατ' ἐξιν, id est, secundum habitum fanos appellamus, seu quibus firma sunt nullisque violanda calamitatibus omnia semel corporis munia. Ac secundus quidem ordo reliquis assignetur, qui ab eorum, de quibus retuli, perfectione multum deficiunt, ac nescio quid vitii trahunt, quod etsi functiones nondum evidenter convellit, sic debilitat tamen, ut incidentibus vel minimis aerumnis protinus laborent. Et intra has quidem metas omnis ordo fanorum est. Tametsi comprehensis differentiis sua utriusque non parva quoque valetudinis sit latitudo. Quod namque missionis discrimina in primorum elementorum coitione reperire est, totidem profecto in omni fanorum catalogo temperamentorum fuerint ideae. Tum quoque non solum corpora alia aliis magis temperata intemperatae sunt, sed etiam in membrorum mutua inter se aptatione, alia concinna magis, alia magis enormia. Itaque quisquis ab inculpata illa summaque valetudine paulummodo deflectit, non ob id tamen finibus ejus protinus exciderit. Nempe ut vitiosus sit, utrumlibet hoc subsit oportet, & prompta ab insalubribus causis laesio, & evidens munitiorum vitae impedimentum. Rur-

fus ex his, quos aliquod jam vitium urget, nonnullis id adeo leve est, ut a prioribus fanis, quos optime valere posui, parvo linquantur intervallo, eoque fit, ut his perinde atque illis conservari habitus in eodem naturae statu seu bonus debeat. Succedunt his alii longe pejus excepti, quos nimirum vitii magnitudo functionibus imbecilles atque oportunos morbo facit. Suntque in his nonnulli, quibus usque adeo mala crevere, ut tantum non morbum creent, cujus ordinis sunt, decrepiti senes, & valetudinarii, & convalescentes, utique si ut nondum penitus finita, sic in melius inclinata valetudo est. Atque haec, ut res postulabat, de sanorum corporum discrimine hypotheseos loco praefatus, CELSUM nostrum protinus aggrediar, primumque ponam, possit nec ne, omnibus ex aequo sanis proposita authoris sententia accommodari. Sane curiosius rem aestimanti parum iis quadrare videatur, quos secundus ordo supra complexus est. Impedit enim hos naturae vitium, quominus integra manente valetudine quibuslibet indulgere rebus possint. Nimirum si proprii corporis incommoda gravate ferunt, qui quaeso externorum malorum impetus commode sustineant? Tum, quo tandem jure prostergatis medicorum legibus, arbitrio vivent suo, quibus levis interdum

error magnae calamitatis occasio est. Ex quo sciri potest, adeo hos medicorum imperatis devinciri, ut nihilo aliter atque aegros regi oporteat, illo tantum interposito discrimine, quod quae aegris collapsa functio est, ea his vacillet, quaeque illis mala confertim avelluntur, eadem his paulatim corrigantur. Haec ista, quae posuimus, intuenti manifestum est, de iis sanis authorem hoc loco agere, quos ordini primo destinavimus. Quam rem cum multa alia, tum ipse quoque orationis contextus similem veri facit. Neque enim cuivis sano, agendi licentia haec indulta est, sed illi, ut patet, soli, qui & sanus est & bene valet. Ita profecto, ut sub bonae valetudinis nomine significata rei differentia, firmam intelligas, inculpabilemque sanitatem, ac nequaquam otiosa sit, quae ultimae orationi jungitur appendix, hominis bene valentis. Ergo quoniam CELSUS noster hoc volumine, suae cuique valetudinis tuendae rationem proponere constituit, recte sane, proque rei dignitate ab iis incepisse videtur, qui sanitate utuntur commodissima, nec ullis interea negotiis dediti, alienisve imperiis mancipati sunt. Ac parem quidem docendi ordinem in GALENI quoque libris, quos ille *de Sanitate Tuenda* composuit, invenio, nec video, quaenam potior scribendi

ratio esse possit, quam quae ab optimis incipit.

Age ergo modo exponamus, cur libera ista vivendi ratio conducere iis censeatur, quibus cum vitae libertatem fortuna, tum natura optimam valetudinem dedere. Unum illud ante omnia scire licet, suam cuique, si optime valet, naturam, in eodem semper habitu servari oportere. Tum idipsum quoque commodissime fieri posse, si caveatur, ne hanc ex facili, causae externae violent. Nimirum sicut optima natura, omnibus sanitatis intus instructa causis est, ita ejus quoque valetudo nunquam esse mala potest, nisi si extrinsecus incidens calamitas eam fecerit non bonam. Jam nulla hercule expeditior ad hujus rei provisionem via est, quam ut firmum robur naturae comparetur ad superandas, quae extrinsecus urgent, injurias. At vero hujus rei fructum nulla re alia melius consequimur, quam ipsa eorum, quae corpus demutant, assuetudine. Quippe ita fere sequitur, ut corpora res solita minus afficiat, ejusque rei causa, ipsa etiam consuetudo vetustissimis sapientiae professoribus, quasi altera quaedam habita natura sit, adeo ut insueta res, quae per se quidem innocens sit, hinc tamen nocens fiat. Ex quo profecto incidit, ut nihil majore

C

rem nobis indolentiam ingeneret, quam rerum omnium in communem vitam incidentium congruus usus, ac sic optatissimum provisionis genus sit, ab iis, quae malum minantur, remedia mali petere. Proinde cui commoda valetudo est, solidaeque suo stant robore vires, hunc profecto decet id memoria altaque mente semper reponere, quod *Evangelium* monet: *Bene valentibus opus medico non esse*, tum severissima illa HIPPOCRATIS & GALENI decreta non tanti putare, quanti valetudinem, cui minus curiosa istorum observatio, ut raro prodesse, sic nocere saepe potest. Audeat igitur quis scrupulosas illas leges postergare, proque suo potius jure, quam alterius libidine agere, idque ne hoc subinde dicitur feriat quo nimios illos *ιατρικοφυλάκτας* excipere solemus: *misere omnes vivere, qui medice vivunt*. Caeterum haec ista agendi licentia, iis hominibus, ut proxime dixi, negata est, quos aut temperaturae, aut conformationis vitium male habet. His enim corpus tam variarum rerum usus imbecillum facere potest, non potest robustum. Scilicet ut optime sanos suae vires strenue tutantur, sic hos fiducia secundae valetudinis fallit. Nam ut exemplo res lucem accipiat, impense calidis siccisque naturis, meraca potio, praevegetus labor, pertinax vigilia, omniaque

turbati animi pathemata, tum cibi calidi & sicci graviter officiunt. Rursus frigidae potio, longa inertia, largior somnus, alimenta humida frigidaque pituitosos in morbosam intemperiem praecipitant.

Atque haec incommoda totis corporibus accidunt, nihiloque his leviora sunt, quae particulas urgent. Qui namque cruribus est sine modo obesis, quique rursus ultra, quam par est, gracilibus, citato cursu laeditur. Tum qui presso macroque pectore est, altioribus vocibus periclitatur. Tenuis humeros portatum onus, marcentem dexteram jactus discus offendit. At vero is, cui membrorum obtigit concinnitas (*συμμετρίαν* Graeci dicunt) sic ut singulorum formatio, ut situs, ut numerus ipsaque magnitudo ad functiones obeundas affabre sint comparata, quibus caeteri franguntur motionibus, his ut nunquam male afficietur, ita interdum impense quoque juvabitur. Ad haec quemadmodum intemperati similibus suae naturae causis facile succumbunt, ita temperati contra ad quaelibet moderate se gerunt, causisque alterantibus felicissime resistunt, sic ut vix ulla ipsos tempestas expugnet, ac proin liberius semper his agere licitum est, *omniumque*, ut in proverbio est, *horarum homini-*

bus esse, tum eo magis hanc sibi fumere vivendi licentiam, quo breviora spatia ab consummatae sanitatis meta porriguntur, ut contra tanto vivere cautius contractiusque, quanto propius ad vitiosam naturam ventum est. Etenim intercedunt quaedam corpora media salubribus & infalubribus, quae HEROPHILUS *Neutra* vocavit. Ea neque alterutri victus rationi addicta esse, neque ab utraque nimium abhorreere debent, sed quasi cursum inter utrumlibet medium tenere.

Ostendunt haec, quae proposui omnia, ac veluti indice monstrant, quam non oporteat eos, qui recte valent, ullis sese legibus obligare, aut medicorum praeceptis usquequaque parere. In quam rem etsi sat multa dixerim, non possum tamen non illud quoque jungere. Corpus accurate sanum (de quo protinus agitur) ipsum sibi ipsi omnia invenit, proprio naturae suae impetu directum. Id autem sic incidere sciendum est. Naturam optimam (quia haec in temperamenti mediocritate posita est) si quae incidant intemperie nocitura, protinus eadem tum sentire, tum refugere, eaque de causa doctore non egere, sed ipsam sibi abunde esse, sic ut merito optima vitae magistra censenda sit. Atque haec

teste GALENO *) loquor, qui *hac natura jam inde ab infantibus instructos tantum ait appetere, quantum probe concoquunt, tantumque dormire ac rursus vigilare, tantum exercitari, atque iterum quiescere, quantum corpori sat est.* Scilicet in his generibus modum finemque sibi quisque horum injussus invenit, neque ante quicquam ex his respuit, quam ejus ultra non egeat. Eam loquor naturam, cujus benignitatem, neque desidia, neque luxuria vitiarunt. Nam si corpori bono animus dominatur non bonus, eaque occasione natura nuper adeo inclinare in vitium coepit, ea profecto nulli, si GALENO **) credimus, ad imitationem proponenda est. Diximus de fanis sat superque multa, proximum est illud quoque de liberis hominibus jungere. Solos hos, cum quidem optime valent, curiosis illis praeceptionibus medicorum non devinciri; reliquos autem, quibus vitae libertas periit, multa facere ex observatione certaue lege debere, adeo ut haec quidem interdum fugere, illa vero ex artis praescripto aggredi conveniat, ad profligandas noxas, quas negotiorum turbae attulere.

*) Gal. 1. sanit. & in Tech.

**) Gal. 2. san.

Hunc oportet varium habere vitae genus: modo ruri esse, modo in urbe, saepiusque in agro, navigare, venari, quiescere interdum, sed frequentius se exercere. Si quidem ignavia corpus hebetat, labor firmat. Illa maturam senectutem, hic longam adolescentiam reddít.

Vita hominum tot inopinatis casibus subiecta est, ut omnes declinasse non sit. Proin nec ubi infueta res molestiam adferat, varium genus vitae ad valetudinem conducibilius est. Quod praeceptum cum aliis in rebus, tum in aëre assidue nos ambiente multum potest. Ipse vero aër quantopere corpora demutet, peregrinantium exemplo cognoscere est, qui post longam in patria moram repente ad aliud coelum translati, gravissimis saepe malis oppugnantur, saepeque ab iis, quae ante fuerant, ex toto vindicantur. Quemadmodum clarissimo id argumento longi morbi docent, quos cum non tempus, non remedia vicerint, mutatum solum haud raro funditus tollit. Quoniam igitur tanta aëris vis est, danda opera est, ut quam minimum ejus nobis occurfus sit insolens. Nimirum, ut quod saepe sustinendum necessario est, id, ubi incidit, facile su-

stineamus. Propterea, uti **CELSUS** praecipit, consultum est, interpositis apte vicibus cuivis coelo assuescere, ac *modo ruri esse, modo ad urbem redire*, interdum aestus, interdum frigora ventosque sponte experiri, denique nullas non calamitates pro exploratis habere, ne qua re nova praeterque solitum, unquam corpus moveatur. Saepe enim in vita hominum parvis momentis magni casus intercedunt. Quin etiam ipsum quandoque mare tentare non inutile est, ne horridus ejus nidus & irrequieti colluctantium undarum vortices corpus male turbent, si quando navigandi inciderit necessitas.

Jam vero missis quoque his quiescere interdum opus est, ne cum praeter morem feriandum est, insolito otio corpus torpescat; ut abstinere laboribus interdum non inutile est, ita frequentius exerceri utilissimum. Habet utique quies sua privatim haud spernenda commoda, ut quae detentis intus sanguine, calore, ac spiritu concoctionem adjuvat. At exercitatio longe adfert non tantum cumulatoria, sed praestantiora etiam bona, quae primo San. Tuend. **GALENUS** tripartito distinxit: Suntque *caloris insiti augmentum, excrementorum expurgatio, et*

solidarum partium robur. Ac primo quidem, quod motione calor augetur, externi ignis exemplo docetur, quem ventilatio excitat augetque. Possum & filices, & quae his duritie paria sunt corpora, in testimonium adhibere, e quibus mutuo inter se violenterque attritis ignis excutitur. Quod si iste motionis effectus in emortuis corporibus respondet, quanto magis necesse est in viventibus respondeat, seu multo ante calore affluentibus. Jam vero si omnia inter se genera compares, quibus corpus quoquomodo incalescit, deprehendes profecto motum reliquis aliis multum antecellere. Calentes balneae, sol, focus, acria medicamenta, & si quae alia ejusmodi sunt, calefaciunt quidem, & ista non instrenue, at ab externo est omnis eorum calor nobis ascitus, neque de proprio principio, sed aliunde accensus, ideoque succos depascitur, solida tabefacit, ac vires consumit. A quibus incommodis usque adeo motus alienus est, ut etiam contraria his efficiat, tum calefactionis initium ab ipsis excitans membris, tum validum reddens attractum eorum, quae convenit in omnem partem corporis digeri, gratoque omnia madore, seu salutari quodam rore imbuere, sicut ut singulis uberrimo & calore & humore re-

creatis artubus, alimentum citius cum demute-
tur, tum corpori coalescat.

Venio ad secundum genus, quod ex-
crementorum erat expurgatio. Ea vero fit,
cum spiritus citatior spiracula totius corporis
recludens, multa vi excrementa per tot ve-
narum recessus secum abripit in habitum,
eademque mox tum sudore, tum occulta
transpiratione digerit. Cujus rei quanta vis
sit ad valetudinem tuendam, is demum no-
rit, qui quotidiana didicit experientia,
praecipuam morborum partem ab immoderata
luxurie excrementorum pullulascere. Proxi-
mum nunc est solidorum robur, articulorum &
musculorum, quibus praecipuus motionis impe-
tus incumbit. Hac re mirum quantopere cor-
pus duretur, aptumque fiat cuilibet motus ge-
neri facile sustinendo. Quemadmodum scripsit
HIPPOCRATES: *) *Laborem articulis et
carnibus conferre*, contracta nimirum per mu-
tuum eorum attritum duritie. Ex quo proti-
nus etiam incidit, (id quod eodem hoc *Autho-
re* dici potest) **) *ut laborem assueti melius
ferant*. Tum fere id etiam sequitur, ut senes,

*) Hipp. VI. Epid. l. v. §. 16.

**) Idem Aph. 11. Aph. 49.

etsi pro naturae suae inbecillitate levissimis erroribus cedunt, adolescentes vero pro virium ingenio robore gravissimis resistunt, hos tamen insolitus labor frangat, quem illi, modo huic assuerint, non solum sunt ferundo, verum etiam lubentes ac multa cum voluptate ferunt. Haec ista, quae propofui curiosius aestimanti, qui quaeso obscurum sit, quod CELSUS docuit: *Ignavia corpus hebescere, labore firmari, illa maturam senectutem, hoc longam adolescentiam fieri.* Videlicet ignavia ingenium nobis calorem minuit, praefocat, extinguit, adeo ut ex hoc protinus & frigidum corpus, & imbecillum fiat. Frigiditas excrementa adjicit. Imbecillitas nec regere haec, nec superare potis est, atque hinc tantorum Ilias malorum emergit, mentis stupor, apoplexia, sopor, destillatio, membrorum cum torpor, tum resolutio, obstructum hepar, renes ac lien, ex hisque aqua inter cutem, cachexia atrophica, calculus, dysuria, & quid non. Certe quantum incommodi neglectus ex toto motus, desesque illa vitae inertia mortalibus afferat, ex eorum habitu agnoscere est, quos longi carceres arctarunt. Nempe his calor omnis intermoritur, vultui color decorque perit, tum foedissimo situ corpus tabescit, ac penitus, ut sic loquar, cadaveratur, adeo, ut mul-

tos confiet, hujus rei grave periculum vitae suae impendio testatos fuisse.

Ergo ut ex communis vitae praesidiis alia aliis convenientia, alia contraria sunt, ita qualiscunque labor omnibus ad sanitatem juxta necessarius est. Non aetas, non corpus, non denique temperatura ulla est, cui hujus rei neglectus sit indemnis. Nam vel ipsis infantibus suas quoque esse dimotiones videmus ab ipsis, ut autor est GALENUS, *) *nutricibus inventas: in cunis scilicet, in lectulis pendentibus: et in ipsis juvarum ulnis.* Neque vero his reclamant HIPPOCRATES **), cum in Epidemiis biliosos perpetua quiete fovet. Etenim hoc loco non quavis motione his interdicit, sed vehementiore duntaxat, quam Medici proprie exercitationem, Graeci a loco sumpta denominatione *γυμνάσιον* appellant. Quo magis ASCLEPIADEM miror, cui exercitationes nihil ad sanitatem conducere placuit, parum utique consideranti naturae nostrae cum motu societatem, quando nec pueros, si conluseris, prohibeas, quo minus discurrant, ac pullorum,

*) Gal. 1. sanit. cap. 20.

***) Hipp. 6. Epid.

ut ait GALENUS, *) vitulorumque ritu lasciviant. Certe id apprime verum existimo, quod idem alias GALENUS proposuit: nunquam quemquam ex ipsa in totum desidia adjutum fuisse. Quare nihil adeo mirandum est, ignavos illos ac sedentarios ventres tot crudelibus morbis consumi, quos proxime recensui, ut optimo jure id quisque apud animum proponere debeat: laborem ac sobrietatem fidissimos esse sanitatis custodes, scilicet ille vires adjicit, haec superflua circuncidit. Amorum coitus omnis valetudinis caput cardoque est. Totum istud optimus ille Medicinae parens HIPPOCRATES **) hac sententia exhausit. Ἀσκησις τῆς ὑγείας ἀκορὴ τροφῆς, ἀοκνὴ πόνων, quod est: *sanitatis tuendae studium est, comesse ad frugalitatem, et sedulo laborare.* Ecquid ergo salutaria haec praecepta capessere etiamnum dubitamus, quid luxuria & inertia perditas externas delicias tanto impendio tantoque opere concupiscimus, quando inemptae dapes abstinentia, perennis focus proprius corpori calor est.

*) Galen. 1. sanit.

**) Hipp. 6. epid. l. 4. §. 41.

Prodest etiam interdum balneo, interdum
aquis frigidis uti, modo ungi, modo
idipsum negligere.

Eodem haec ista spectant, quo ea, quae
supra comprehensa sunt, nimirum ut rerum
quam maxime variarum assuetudine corpus
duremus, aptumque vitae usibus reddamus.
De balneo pluribus hoc loco agere, non satis
causae putavi, quod illud fere videam seculo
nostro praeteriri. Multoque minus de unctio-
nibus dicam, quae tantum non totae exoleve-
re. Illud jure mirari posse videor, aut quae-
nam adeo supina nostrorum hominum fuerit
inertia, ut tam salubribus utriusque valetudi-
nis praesidiis superfederint, aut certe quaenam
veterum ista fuerit curiositas, qui usque adeo
iis sese addixerunt, ut ne coenare quidem
cuiquam, nisi loto unctoque, fas esse duxerint,
eamque vivendi legem adeo religiose obser-
varint, ut ab ea ne senibus quidem esse licue-
rit immunibus. Sic enim in *Odyssaea* canit
HOMERVS: *Ut lavit sumpsitque cibum,*
det membra sopori. Namque haec justa seni.
Quod calidae ac potabilis aquae balneae iis
parum curae fuerint, qui in septentriones
spectant, ex eo fit, quod his ipsi minus ha-
beant opus, tum quia pauculum colligunt acris

fumidique excrementi, tum quia temperamento sunt minus sicco, propter quas duas causas calidi lavacri praecipuus usus est, ut ne dicam etiam non leve periculum refractionis his esse, protinus e balneo egressis. Itaque ut commodorum, quae id ipsum, largitur, non egent, sic, incommoda, quae affert, tantum sentiunt. Obscurior causa est, cur Italis & Graecis lavationis fere usus omnis interciderit, quum haec ipsis olim tanto studio sit tentata, neque jam nunc coelum aut corpora alia sint, quam quae tum fuere. Sed quid non designat in diem crescens animorum mollities saeculique nostri gravis inertia, utique quia passim & otio diffluitur, ac ventri magis curando, quam valetudini studetur. Videlicet ita naturae omnium nostrae comparatum est, ut libenter ea negligamus praecipua, quae sedulitatem exigunt. Quanto autem praestabilius fuerit majorum studia aemulari, qui sanitatis atque *εὐεξίας* ergo, publica etiam condidere gymnasia atque lavacra, quorum usu corpus & firmum reddebant, & superfluis omnibus repurgatum. Sed ut nihil non (Authore *Flacco*) damnosa imminuit dies, ita pristinae hujus industriae ne vestigium quidem ullum hodie superest.

Quoniam ad hunc locum perventum est, non alienum videtur, vires balnearum, & post has unctionum quoque exponere. Ergo veteres calidis lavacris utebantur, ad dissipanda supervacua tertiae concoctionis, & ad corpora tum calefacienda tum humectanda. At frigidae natationem alias adhibebant, ut vires auferrent pulso in viscera calore, alias cutis defendendae gratia, quo communitum corpus esset contra ambientis nos aëris injurias, ac tertio, ad ardores corporis abolendos. In qua re efficacissimam esse frigidae piscinam GALENUS affirmavit*), adducto de iis, quos sol exussit, exemplo. Accedimus, inquit, ad frigidam, ne loqui quidem prae linguae & faucium ariditate valentes, totumque corpus stipulae ritu siccum habentes. At egressi e frigida illico omnia pro naturae habitu recipimus, nec febrili amplius calore vexati, nec siccitate afflicti, prompteque loquentes, ac plurima sitis parte levati. Haec ille. Porro in frigida lotionem haec fere antiqui observabant. Primum, ne qua de causa corpus esset imbecillum, in quo nimirum infirmus calor frigidi elementi violentam qualitatem sustinere potis non est, neque impedire, quo minus prompte ea in

*) Gal. 10. Meth.

corpus irruens viscerum aliquod violet. Secundo eos quoque a frigido lavacro removebant, quibus aetas nondum penitus adoleverat, idque ne pulsus intro succis habitus tardaretur incrementum. Tutissimum autem frigidis undis mergi censebant mediis aetatibus corporibusque εἰσαρκίαις, id est, justa carnis mole praeditis (Latini *quadrata* nominant) utique si aestas esset, totaque cutis frictionibus ante praecalefacta. Caeterum calida lavatio ut minore periculo, sic majore fere cum fructu administratur. Tenuia enim acriaque excrementa, quae subter cutem occuluntur, foras digerit, ac haec, quae vehementius inaruerunt, membra humectat; quae obriguere, emollit; quae tenfa fuere, relaxat. Hisque nominibus dolores gravissimos placat, & lassitudines discutit, itemque calore, distractionem alimenti in corpus, graecis dictam ἀναδοσιν, promovet. Humectatione somnum accersit, utroque corpulentiam & εὐεξίαν parit. Neque vero ignoro, haec tam eximias folii dotes (si quis ubi non expedit, lavetur) maximis incommodis obscurari consueisse. Nam quoniam omnia in corpore laxat funditque, ob id ingenitum calorem minuit, appetentiam dejicit, humores commovet, fluxosque reddit, ex quo incidit, ut si qua pars sit admodum debilis, in eam

protinus superfluatorum impetus fiat; Tum si cruditas aliqua primas venas visceraque obsidet, femicoctus humor sub calore liquetur, in omnemque venarum propaginem deducatur.

Et de lavatione quidem satis dictum putamus, proximumque est ad unctiones transire, quibus inter sanitatis praesidia non infimus locus debetur. Siquidem iis corporibus optime succurrunt, quae quoquo modo consumpta humectationis egent. Quia vero cum quadam pertractione membrorum fiunt, moderate hoc quoque nomine calefaciunt. Perungebantur veteres potissimum a gravi labore, scilicet ut quae nimium in corpore inaruerant, humescerent, quaeque tensa aut rigida fuerant, emollirentur laxarenturque. Interdum & a calenti folio idem ipsi tentabant, ne receptus in carnes humor, obstructa per pinguedinem cute, protinus digereretur: tum ut recens lotis id veluti quoddam esset munimentum ad propulsandas ambientis aëris injurias.

Nullum cibi genus fugere, quo populus utatur. Interdum in convivio esse, interdum ab eo se retrahere, modo plus iusto, modo non amplius assumere: bis die

D

potius, quam semel cibum capere, & semper quam plurimum, dummodo hunc concoquat.

Putaverit quis, hoc CÆLSI praecepto medicinae partem, quae de salubri victu agit, labefactari, nihilque ad sanitatem interesse, hoc genus cibi potionisve sumatur, an aliud, nisi longo olim jam usu compertum & GALENI testimonio comprobatum esset, multos in eximio corporis statu homines, quos fas erat incolumes ad ultimam usque durasse senectutem, ob unicum victus errorem, quotannis fere gravi aliquo morbo jactari. Quo profecto incommodo nec ipsemet potuit carere GALENUS, qui se refert, cum adolefceret, victitasse dissolutius, ex eoque non ante laborare anniversaria febricula desisse, quam circiter octavum jam & vicesimum aetatis annum, emendatiorem victum parentis hortatu esset amplexus. Adeo apparet, non ita sentire CÆLSUM, ut temere, quibus lubitum est eduliis, quovis tempore, sine ordine, sine delectu atque modo utamur. Istud enim impudentis parasiti, non tanti esset medici consilium; quin potius sic ipsum praecipere, ut quisquis rectissime valet, sese cum quadam moderatione ad cuncta genera ciborum, qui populo sunt usui, compa-

ret, idque ea de causa, ne offendatur, si quando aliqua adactum necessitate insolitis rebus saturari oporteat. Illud praeceptum probe duntaxat valentibus CELSUS applicans plus justo arctasse videatur, quando accuratius id aestimanti appareat opinione latius parere, ipsisque interdum intemperantioribus corporibus, non tantum optime constitutis, accommodari jure posse. Nam si vel temperantissimus quisque saepe usque adeo sumpto liberalius meraco laeditur, cum neque ventriculus ejus liquoris asperitatem, neque acres fervidosque halitus caput unquam experiri ante consueverunt, quid Arii Peripatetici casum inbibita praeter morem frigida miremur, qui (referente GALENO*) cum gracilis natura esset, atque ore ventriculi frigidissimo, ideoque curiose semper a frigidae potu sibi per sanitatem temperasset, forte in febrem lapsus, atque a medicis supra consuetudinem potari gelidam aquam jussus, haud ita multo post animam efflavit. Jam vero quisquis in urbe indulgenter habitus conquistissimis ferculis indies ventrem explevit, moxque aut fortuito, aut aliqua denique necessitate ab deliciis avulsus, ad rusticorum olera leguminaque transit, qui quaeso

D 2

*) Gal. lib. de consuetudine.

non ringatur, & ut inquit HORATIUS: *solos felices viventes clamet in urbe?* Adstipulatur his illud HIPPOCRATIS: *Consueta longo tempore, etiamsi deteriora sint, insuetis minus molesta esse consueverunt.* Lib. II. Aph. 50. Adjicitur dissuetudinis hujus taedio, malae etiam concoctionis periculum. Nam quae quisque fere fastidit, ea ventriculus minus alterat. Omnia ergo sanis tentanda, ut omnia commodius ferant. Nam sicuti cibus quisque demutatur secundum qualitatem, ita vicissim id quoque corpus, a quo alteratur, utcunque afficit, alteratque. Ex quo incidit, ut inter corporis naturam & assumptum alimentum major indies similitudo, seu quaedam cognatio nascatur, inde adeo, ut qui cibus initio erat vescentibus ingratus, longo tandem usu fiat suavis. At vero magna cura opus est, ne valetudo hac ista licentia fiat deterior. Quare sciendum est (ut modo praecepi) moderatione quadam hic opus esse, neque cuiquam, quantumvis firmo, pro sua libidine quaevis apposita vorare licere. Ea autem moderatio quam secutus autor, videtur aptissima, quoties neque diutius ista, quam par est tentantur, & tamen aliquoties adhibita non omituntur, sic ut non tantum cibi voluptatem, sed salubritatem quoque commendat rarior

usus. Ejusque rei causa consultum est, non uno in victus genere diu persistere, sed aptis vicibus a lenibus cibis ad acres, ab acris ad lenes, a vino ad aquam aut zythum, ab his ad vinum transire, convivari interdum, at saepius contracte vivere, rarius plus justo, saepissime non amplius assumere, postremo nihil non tentare, ne quid per necessitates nobis sit nimium insolens. Quemadmodum enim summa quandoque est in eo perniciēs, quod auxilii causa inventum est, sic contra quae alias vehementer obfunt, ea aliter aliterque tentata, saepe auxilii vicem exhibent, ut in hac ipsa re, ubi victus genus modumque in pejus novare interdum permissum est, ejus spe commodi, ut urgente necessitate cum omnibus quis oblectetur eduliis, tum nullis eximie laedatur.

Porro autem, quare bis die potius quam semel capere cibum oporteat, haud difficilis ratio est. Nam quoniam ventriculus per severiores inaedias exinanitus labefactatur, excrementaque (ut **GALENO** placet *) totius corporis, nisi cibo subventum sit, recipit, tum venae quoque consumptis nimium succis, suam quoque inopiam invitae sentiunt, protinus fit, ut ali-

*) Gal. lib. de facult. naturali.

menti concoctio omnis intus frustretur, quandoquidem id & ventriculus infirmus male alterat, & venae sanguinis inopes, imperfectum ante tempus excipiunt. Scite enim GALENUS particulas in trahendo nutrimento cum famelicis equis comparavit, qui pabulum ex ipsis etiam mandibulis unus alteri certatim eripiunt, in qua inquit pugna fortior potitur victoria, ut in hac ipsa accidit re. Nam hepar, cum intus alimentum est, totis viribus ad trahendum insurgens, ventriculo non aegre eripit, quod hunc onere molestat. Ut autem utrobique tempora nimium praecipitant, sic ambo haec viscera optato alterum chylo, alterum chymo frustrantur: ventriculus quidem, quia alimentum non satis diu retinuit: hepar vero, quia ante tempus attraxit, sic ut imperfectum id in probos postea succos convertere nequeat. Ergo quo & calor insitus, qui succis fovetur, maneat integer, & cruditatis amoliatur periculum, satius est bis per diem esse.

Tum illud quoque observatione dignum est, ut quoties estur, tantum semel ponatur cibi, quantum plurimum concoquendo ventriculus est, idque primum, ne pecudum more ad inexplebilem vorandi cupiditatem assuescamus, quod & illiberale & homine indignum est: deinde ne

uno cibo intus substantive, novus superingeratur. Ita enim omnis concoctionis lex ordoque evertitur, ventriculo ex novae rei appulsu recluso, tum perficere id, quod prius intus erat, cessante, ac sic omnia pariter corrumpente. AVICENNAS *) scrupulosius notare studens, qualia tempora cibo legerentur, *post sextam et decimam quamque horam edendum censet*, sic ut dapes duorum dierum intervallo ter ponantur. Ea res cum parum secuta, tum perquam difficilis observatu est. Primum enim, quisnam his se legibus impune obstringat, cum tot indies nos circumveniant incommoda, quae vetant atque impediunt, quo minus liceat eundem ponendi cibi tenorem perpetuo servare. Interdum enim cum nolis, comesse bibereque necesse est, saepeque cum maxime velis, abstinere. Tum quis vero sustineat saepe de die & stertere, & cibo carere, noctu vero curare negotia, eamque temporis particulam epulando consumere, quam parens natura quieti, laxandisque mortalium animis dicavit. Meminisse profecto Principem oportuit, non ideo nos vivere ut edamus, sed ut vivamus, edere.

Quaesitum est ab nostris hominibus, debeat nec ne cœna frugalior prandio, an vero esse libe-

*) Avic. lib. Canticorum.

raliſior. Eſtque ingens de hac re pugna ſuis utrin-
 que innixa autoribus, non his modo, quorum
 nomen in obſcuro eſt, ſed clariffimis quibuſque
 memoriae noſtrae viris. Ex iis pleroſque omnes
 reperias, qui oppido quam inartificioſe id argu-
 menti verſarunt, ſemel finientes ac veluti edic-
 to ſtatuentes, plus minusve aut prandendum
 aut cœnandum eſſe, nulla poſita corporum dif-
 ferentia. Ego vero, ut non eadem omnibus
 corpora nec vitae inſtitutum eſt, ſic nec victus
 normam eſſe oportere exiſtimo, iudicoque ejus
 rei cauſa opus hac eſſe limitatione. Quicun-
 que capitis imbecillitate ac deſtillationum vitiis
 ſaepius urgentur, quique corpus univerſum ac
 praecipue ventriculum nacti ſunt ſubfrigidum,
 atque ob id plus juſto excrementoſum, parcius
 omnes ut cœnent, necesse eſt. Nam etſi ſom-
 nus concoctioni auxilietur, impedit tamen ſu-
 perfluorum vacationem, quorum vis longe
 maxima in comprehenſis corporibus per noctem
 coit. Neque vero mirum ſit, id incommodum
 ſomni occasione incidere, ut qui detento circa
 ima praecordia calore atque ſpiritu, omnia na-
 turae effluvia comprimit. Neque enim, cum
 quis ſoporatur, aut alvum dejicit, aut urinas
 reddit, multoque minus inutilem capitis ac ven-
 tris pituitam excreat. Tum ob nocturnae au-
 rae frigora, & gemini caloris ad interna receſ-

sum, ipsa quoque corporis difflatio minuitur, quantumvis per haec tempora sudores plerumque sint effusiores, quum scilicet toto corpore excrementis admodum oppleto, id duntaxat, quod in subcutaneis locis est, sub crassi madoris specie foras exundat, non valens (ut de die fit) tenuari, atque insensibili transpiratione evanescere. Isthaec quidem superflua, quae comprehensa sunt omnia, dormientibus intus cunctata, cum nullas non partes onere laceffunt, tum eas, quae suapte natura magis sunt excrementitiae, plus caeteris premunt. Estque ex earum numero prima, ipse ventriculus & post hunc caput. Illius cruditatem ex larga cœna contractam denunciant postridie, cum surgitur, gravitas, inflatio, ructus ac multus pituitae scretus: hujus oppletionem, dolor, pondus, sensuum torpor, destillatio, ac nocturnae tussis arguunt. Quippe noctu quam maxime cibus effumat, effervescentibus caloris accessu visceribus, crassosque halitus supra in caput instar foci ejaculantibus, qui protinus halitus loci frigiditate illic concreti, neque concoqui ab infirmo capite possunt, neque substantiae ejus assimilari. Ex quo incidit, ut mole ac pondere laborantes suo confestim in subjecta loca deorsum versus sidant, proque varia decubitus fortuna, modo gravedines, modo raucitates,

& his pejores tusses, interdum diarrhœas, aut vomitus, neque raro colli dolores creent. Tum haec ista incommoda, tum quae proxime nar-
ravimus, vigilantibus omnia fiunt leviora. Nam interdiu partim aëris sole illustrati potentia, partim ob communis vitae munia difflatio (singulare excrementosis auxilium) vehementior est, id quod cum aliis ex rebus, tum hoc quoque argumento discitur, quod vigiles citius dormientibus esuriant. Nam ne illud quidem ab HIPPOCRATE *) dictum ratione caret: *Vigilia vorax*. Eos hactenus homines loquor, qui summae libertatis compotem vitam degunt. Contra enim, qui exaltandis quam maximis laboribus totos dies sumptum exercent suum, sicuti palestritae, magnorum operum fabri, ful-
lones, fossores, messorum, & id genus hominum robora, quibuscunque etiam subjaceant valetudinis incommodis, semper tamen prandere frugalius, cœnare plenius debent. Maxima enim ubique concoctionis habenda ratio est, ne qua re, cum ea fieri cœpta est, interpelletur, id quod tum facile incidit, ubi copiosum alimentum labores excipiunt. Quisquis vero jam reliquorum hominum est, quem neque negotiosa vita, neque supra posita corpo-

*) Hipp. vi. Epid. S. IV. § 39.

ris vitia impediunt, cœnare is & copiosius & valentius alimentum tuto potest. Sunt namque cœnae duo maxima ad juvandum concoctionem adminicula, quies & somnus, quibus tertium quasi ἐξ ἐπιμέτρῃ jungitur, longius temporis intervallum, quod inter cœnam postridianumque cibum interponitur. *) Atque hoc consilio freti veteres cum Romani tum Graeci (quorum corpora minus erant excrementitia) tenuissime prandere, largiter vero cœnare confuerant.

Sed ut hujus generis exercitationes cibi-que necessarii sunt, sic Athletici supervacui. Nam & intermissus propter aliquas civiles necessitates ordo exercitationis corpus affligit. Et ea corpora, quae more eorum repleta sunt, celerrime & senescunt, & aegrotant.

Athletae multo olim valentissimoque cibo viscera saginabant, idque vastitatis roborisque corporei quaerendi studio, ut tanto paratiores ad exactum illud exercitii genus venirent, quod ipsi κατασκευὴν appellabant. Instituto hi a salubris legitimaque Gymnastics pro-

*) Gal. 7. Meth.

fessoribus differebant, quibus laborum finis proponeretur actionum corporis vigor, ut contra Athletis validum roboris incrementum quaedamque seu pancratica valetudo, qua freti quam plurimos adversariorum prosternerent. Eratque ipsis ad hanc rem tanto saepe virium connixu opus, ut omnes propemodum (referente GALENO) e palestra tandem redire cernerentur claudi, distorti, fracti, aut aliqua saltem particula mutili. Jure igitur CELSUS hujusmodi labores expulit, idque non tantum, quod intermissus horum ordo corpus affligat, sed multo quoque magis, quod ipsi quantumvis etiam continentur, nunquam per sese valetudinem non convellant. Siquidem plenos tum vasorum diruptionibus, tum obstructionibus, itemque feбри, apoplexiae ac subitae praefocationi opportunos reddunt. Inanes vero consumptis solidis tabefaciunt ac praecipites in senectam recta agunt. At in his medios homines, utrolibet incommodo oppugnant, tum justo vehementius eos siccando, tum venarum ruptionibus obnoxios reddendo. Nihilo his leviora ab athleticis cibis pericula sunt, ut qui copia ac viribus ingenitum nobis calorem extinguunt ac veluti strangulant, non secus, quam aut ellychnii flammam delet affusum ipsi copiosius oleum, aut pyram suffocat

aggesta stipataque super ipsum nimia lignorum congeries. Neque vero illud repugnat, quod perpetuo carnis suillae, panis ac vini usu grande concoctionis robur ventriculus acquirat. Quippe sub hoc commodo multa latent incommoda. Nam alimentum etsi accurate confectum venter dedit, venae tamen ejus copiam impatienter ferunt, sic ut quantumvis id εὐσαρκον sit, omnique ex parte sincerum, luxu tamen, non genere noceat. Autor enim GALENUS *) est, probatissimi succi edulia, quaeque plurimum praebere alimenti possunt, si copiosius vorantur, calorem opprimere naturalem, ac (quod magis mirum sit) frigidis morbis initia praebere. Documento meracum est, quod etsi succum gignit corpori (si quid aliud) maxime familiarem, augendaeque caloris substantiae convenientem, refrigerat tamen, si sine modo potetur. Simileque veri est impulsus hac causa HIPPOCRATEM **) fuisse, quod tot modis cibos athleticos, habitumque sit infectatus. Is enim habitus, etsi speciosior & coloris decorisque plenior est, non ob id tamen satis tutus est. Nam cum hoc affecti homines, in eodem statu nequeant consistere, sed nec porro oppletis jam vasis procedere, fere retro quasi

*) Gal. 2. de caus. morb.

**) Hipp. lib. 1. Aph. 3.

ruina quadam revolvuntur. Jam ut haec valetudinís detrimenta mittamus, quis non intelligit, quam ipsa quoque mens Athletis ex hoc genere victus hebescat, rebusque gerendis fiat inidonea, ut quae crassissimo sanguinis vapori tanquam putido coeno immerfa, neque erigere sese, neque extra fordes aciem efferre valeat. Quo magis recte id vulgo jactari existimo: perquam difficilem esse crassi ventris & subtilis animi copulam.

DE CONCUBITU.

Concubitus vero neque nimis concupiscendus, neque nimis pertimescendus est. Rarus, corpus excitat: frequens, solvit. Cum autem frequens non numero sit, sed natura, ratione aetatis & corporis, scire licet, eum non inutilem esse, quem corporis neque languor, neque dolor sequitur. Idem interdum peior est, tutior noctu: ita tamen, si neque illum cibus, neque hunc cum vigilia labor statim sequitur.

EPICURUS (quod maxime mirum videri potest) omnem veneris usum sustulisse legitur. DEMOCRITUS autem usque adeo ha-

buisse hanc exosam, ut parvam esse epilepsiam dixerit. Illud GALENUS jure ut vanum repudiavit, luculentissima oratione adstruens, concubitus & utilem sanitati, & necessarium esse, causamque ejus rei proponit exuberantiam feminis humani, quod aequo diutius intus retentum, transire, ut ipse ait, in venenum solet. Docent hoc atrocissimi casus, quibus uterque sexus hinc oppugnatur, convulsio epileptica, infania, subita praefocatio, πνιξ' ἐστοικη, syncope cardiaca, animi deliquium, & si quae his similia sunt alia. Ergo cum tanta pericula neglecta venus adferat, pretium operae facturus videor, si hujus congruum usum cuique corpori accommodem, idque ab iis orfus hominibus, quibus haec res esse putatur apprime conducibilis. Eos esse & usus & ratio docuit qui aut ex suae naturae vi, aut propter intermissam venerem multo femine affluunt, praecipue si firmi sunt adolescentes, si solito toro privati, si juvenulae vividiores, magisque si adultior his jam aetas accessit. Quod si praeter haec calida ipsis humectaque natura est, non citra gravissimas & corporis & animi noxas venereis amplexibus abstinent, ut non injuste PLATO haec corpora esse simillima dixerit arboribus plus aequo fructiferis. Porro siccis nocentissima venus est, magisque si pa-

riter etiam frigent. Pauculum enim feminis
ejusque suffrigidi his inest, cujus crebra vacua-
tio corpus reddere magis frigidum siccumque
potest, non potest vegetum. Atque haec de
corporum naturis.

Ætates mediae, precipueque ea, quae
etiamnum floret, concubitus omnes haud
moleste ferunt. Novissima senectus omnisque
pueritia, aut male foecunda, aut penitus in-
foecunda est, quare his aetatibus, quia minus
roboris subest, Venus inimica est. Ut maxi-
mas commoditates ad sanitatem Venus adfert,
si & moderate & in loco admittitur, sic rursus
perniciosissima est iis, qui pulcherrimas ejus do-
tes libidine corrumpunt. Etenim nulla res vi-
res impensius frangit immodico concubitu. Pro-
funditur namque hic sincerior humorum parti-
cula, caloris, spiritusque vitalis plenissima,
cujus jactura tanto magis, quam effusus sine
modo sanguis corpus afflicta, quanto semen
illo calidius, atque elaboratius est. Atque
hinc sciri potest, quam recte CELSUS prae-
ceperit, *concubitus nimis neque concupisci,
neque timeri a firmis hominibus oportere.*
Multum cum omnibus in rebus, tum in veneris
ludo mediocritas potest. Huc ipsi quoque pa-
renti rerum naturae fuisse studio videtur, quod

a prima origine neque semen nobis paucissimum infudit, ut ejus excretio vix necessaria sit; neque rursus tanta ejus mole nos oneravit, ut assiduo concubitu sit opus. Ergo is, si rarus est, corpus excitat: si frequens, solvit. His utili profusa materia corpus infirmit, illa dempta duntaxat, quae copia gravabat, erigit, vegetum id ac magis virile efficiens, tum ipsam quoque mentem componens, ira, tristitia, metu, aut simili aliqua animi aegritudine emotam, ut hoc nomine **ARISTOTELES** non perperam judicavit, melancholicis salubrem usum veneris esse. Melancholicos philosophus vocat, quos atrae bilis affectus exercet, non item eos, quibus propter temperamentum frigiditatem & siccitatem proxime diximus concubitum adversari. Itaque his venus magis subvenit, qui sine probabili causa tritari incipiunt atque timere, tum in latebras sese abdere, hominumque conspectum vitare, quos ideo Graeci *μισανδρέπες* nominaverunt. Videlicet ejus generis hominem sibi visum **GALENUS** narrat *) assiduo metu excruciatum, ne Atlas coelo impar sustinendo oneribus cederet, ipseque una cum eo ruinis succumberet. Eo ut non minus vesanum, sic longe miseriores ae-

*) Gal. 3. de locis aff. cap. 6.

tate sua extitisse, CELSUS memoriae prodidit, cui praediviti quidem existenti, famem tamen oppido quam stulte timenti, ut vani metus levarentur, subinde falsae haereditates nunciabantur. Verum his forte melancholicis el-leboro ac vinculis potius, quam venere opus sit: longeque haec iis futura est innocentior, qui etsi etiamnum utcunque sapiunt, ad μελαγχολικῶν tamen symptomata vehementer inclinant, qualem GALENUS 6. *locorum affect.* proponit, qui cum uxoris obitum acerbè ferens, multo luctu sese conficeret, protinusque amissa cibi cupiditate, ad haec, quae retuli symptomata, vergeret, non ante sese in sanitatem vindicavit, quam ad foeminae consuetudinem rediisset. Ac tantus quidem fructus est, quem rarus spondet concubitus. Huic periculi magnitudine frequens veluti ex opposito respondet. Nam corpus effoeminat, laxum id, nerve, frigidum, siccum, imbecilleque efficiens, ut non sit quod magnopere quis miretur, ex hoc fonte tot tantaque mala scaturire, apoplexias, lethargos, epilepsias, altos sopores, coecitates, tremores, paralyfes, spasmos, hisque omnibus taediosiores podagras, chiragras, coxendices, quaeque his paria sunt arthritidis tormenta, quorum juxta poëtas Bacchus est Pater, & Genitrix Venus; quemadmodum

graecum habet Epigramma: Λυσιμελῆς Βάκχος, καὶ
 Λυσιμελῆς Ἀφροδίτης, Γεννᾶται θυγάτηρ Λυσιμελῆς
 πόδα γρά. Quoniam ad frequentem concubitum
 perventum est, scire licet, hunc non esse numero
 aestimandum, quoties scilicet aliquis id opus
 expleverit, sed ex natura seu viribus hominis
 finiendum. Interest enim non quot veneris
 exercitae sint vires, sed quae aetas, quae vi-
 res, quae corpora sint. Nam si firmus senex,
 juvenis imbecillus est, quid miri, si idem sub-
 inde concubitus canescentem erigat, florentem
 debilitet, tum huic fuisse frequens, illi rarus
 dicatur, utique si is rarus est, qui corpus non
 solvit. Siquidem ut non omnibus venus jux-
 ta inimica, ita nec salutaris est. Proin fre-
 quentem concubitum non numerus, sed cor-
 pora faciunt. Quemadmodum enim (Autore
 GALENO) nonnulli sunt, quos protinus a ju-
 ventute venus facit imbecillos, ita alios re-
 perias, qui nisi saepissime coëant, capitis gra-
 vitate, inappetentia, concoctionis difficultate
 (hanc Graeci δυσπεψίαν illam ἀνορεξίαν vocant)
 praecordiorum dolore, ac febribus affliguntur.
 Porro certam statamque veneris mensuram cui-
 que tum aetati, tum naturae praescribere, haud
 adeo facile factu est, cum propter inexhaustam
 atque omni prope dixerim numero majorem
 particularium multitudinem, tum quia GALE-

NUS autor est, quod nec scribi nec dici potest, id in unoquoque quantitatem esse. Itaque ne CELSUS hoc scrupulo nos impeditos relinqueret, experimentum ab ipso sensu depromptum dedit, cujus indicio ductuque omnem veneris modum in unoquoque inveniamus. Scire, inquit, licet, eum concubitum non inutilem esse, quem corporis neque languor, neque dolor sequitur. Quam observationem nec ipse praeteriit silentio GALENUS *) eam esse haud inidoneam venerem scribens, quam nulla virium infirmitas excipit, utique si quis solito levior factus ac melius spiritum trahere videatur. Et quidem veneris modum jam explicuimus. Superest tempestivum ejus usum exponere. Ea multis de causis tutior esse noctu creditur. Primum quod propter intermissa negotia sufficiens tum sit quies, quae lassatos hac contentione artus recreet, quaeque utero ad tenendum conceptum praesidio sit. Secundum est, quod ut corpus venereis caloribus relaxatum, circumdatis ipsi per quietem tegumentis, optime contra nocturnae aerae afflatus communitur, sic interdum subito aeris frigore facile excipitur. Adde, quod de die proclive sit periculum cruditatis, utique horis pomeridianis, confecto nondum, quod intus

*) Galenus in Techna.

est, alimento. Quippe omnem cruditatem cum quivis violentior motus, tum venerea contentio exasperat, eoque fit, ut si cui de die prolificandi inceserit cupiditas, fatius sit ante cibum id facere ipsum, atque interposita qualicunque quiete paulum quid comesse, quod nec concoctu difficile, nec mole ventriculo grave sit. Neque enim protinus juxta venerem cibus recte ponitur. Nam si is paulo ante datur, ab accensis membris ante tempus attrahitur: si post, & tum quoque in hiantia mesenterii vasa facillime abripitur, sicque cruditas utrinque movetur. Jam vero ne noctu quidem sat tuta Venus est, quam vigilia ac lucubrationes excipiunt. Geminatur enim sic corporis afflictio, naturaque primum venerea contentione defessa, ac mox vigilia nocturnisque fracta studiis, tot aerumnis impar est sustinendis. Caeterum ut rem omnem finiamus, ea esse tempora veneri aptissima perhibemus, quibus alimentum in ventre atque jecinore percoctum est, quae res in ultimam forte incidet noctem, ipsamque, si mavis, auroram. Antequam quisquis in Cypridis palaestram descendet, fieri nequit, ut cruditatis periculum ullo modo effugiat. Quo minus etiam opinio probari PAULI ÆGINE-TÆ *) debet, qui nescio qua fretus autorita-

*) Lib. I. Cap. de Venereis,

te quoque impulsus consilio, locum veneri tribuerit a cibo & ante somnum. *Protinus* (inquit) *a coitu somnum capienti, lassitudo solvitur.* Atqui (o bone) hanc ego lassitudinem pusillam judico, eam quae venerem vel temperatissimam nunquam fere non sequitur, parvoque disperit momento, postposita corporis quiete, quae horis antelucanis nobis etiamnum cubantibus durare potest. Haec ista identidem quies, opem roburque utero abunde sufficit, ut is quam minimo negotio (deest namque corporis motus) acceptum maris semen suis tunicis undique apprehendat includatque. Quin & *ÆGINETÆ* opinionem una hac sententia *HIPPOCRATES* explofit. *) *Labor, cibus, potus, somnus, Venus, omnia sunt mediocria.* Sic enim & unico epitheto singulorum modum, & ipso orationis ordine convenientia tempora senex expressit.

Haec firmis servanda sunt, cavendumque ne in secunda valetudine adversae praesidia consumantur.

Aurea haec est, suoque dignissima autore sententia, qua docemur, ne dum recte v

*) Hipp. VI, Epid. 1. VI. §. 6.

lemus, oppido quam rigidi sumus medicarum
 praeceptionum observatores; quin potius va-
 ria genera rerum per secundam valetudinem
 sectemur, quo in adverfa earundem usus, &
 adjumenti plus, & molestiae minus adferat.
 Estque haec oratio seu epilogus quidam eorum,
 quae superius scripta fuere. Neque vero igno-
 ro, aliam quoque praeter hanc dari praesentis
 loci interpretationem posse. Scilicet caven-
 dum esse per secundam valetudinem, ne ea
 praesidia consumantur, hoc est, inutiliter usur-
 pentur, pereantque, quae adverfae valetudini
 dicata sunt. Scilicet minime convenire, ut
 qui commodissima utitur valetudine, sanguine
 per venam misso vacuetur, aut epoto phar-
 maco perpurgetur, sed nec statam aliquam te-
 nuantis diaetae formulam anxie observet, aut
 id genus aliquid eorum peragat, quae ad ma-
 le valentes inventa praesidia sunt. Siquidem
 optimo corpori (de quo hic penitus agitur)
 quia omnium rerum symetria quaedam inest,
 nihil aut apponi debet aut adimi, quin contra
 potius in pristino id naturae suae statu confer-
 vari postulat. Jam vero si sanguis naturae
 creditur thesaurus *) adhaec, si sano corpore
 praediti medicamentis purgati cito exolvun-

*) Hipp. 2. Aph. 36. §. 1. Aph. 5.

tur, tum si nimis constitutum atque exquisitum victum tantopere in sanis HIPPOCRATES infectatur, quis porro dubitaverit, ista omnia per firmam valetudinem, ut nulla necessitate, ita non nisi maximo cum virium detrimento usurpari unquam posse? At vero haec ista interpretatio sit ne priori anteferenda, an minus ducenda genuina, neque posse facile decerni, neque permagni referre existimo. Proin cum utraque aequae sit utilis, suum cuique liberum esto de hac re iudicium.

C A P U T II.

*Quae STOMACHO imbecillis servanda
sint.*

Et imbecillis *stomacho*, quo in numero magna pars urbanorum, omnesque pene eupidi litterarum sunt, observatio major

necessaria est, ut quod vel corporis, vel loci, vel studii ratio detrahit, cura restituat. Ex his igitur, qui bene concoxit, mane tuto surget, qui parum, quiescere debet, & si mane surgendi necessitas fuerit, redormire. Qui non concoxit, ex toto conquiescere, ac neque labori se, neque exercitationi, neque negotio credere.

Definitis omnibus, quae pertinent ad firmæ liberaeque sanitatis curationem, CELSUS ea praecepta protinus jungit, quae vitioso, seu corporis totius, seu unius particulae statui debentur, idque sumpto ab stomachi imbecillitate initio. Stomachi appellatione id Graecis communiter significatur, quod ipsi propria alias voce *αἰσοφάγον* ac Latini *gulam* nominant, omnem illum cibi meatum, qui ori & ventriculo interjacet. At CELSUS illum *καταχρησικῶς* hoc loco, ut (alias saepissime) pro toto ventriculo, tametsi & interdum (ut semper GALENUS) pro ejus tantum ore usurpavit. Caeterum hujus partis tutandae eo nobis cura major esse debet, quo ejus offensa graviori cum taedio tum periculo universum corpus exercet. Est namque ventriculus primum con-

coctionis ciborum instrumentum, & omnium compagis humanae partium quoddam, seu commune promptuarium, cui si quis error circumunus concoquendi semel accidat, ejus illico particeps fit & reliquum corpus. Scilicet supra naturae vires est, ut bonus in hepate ac venis sanguis instauretur, male coctis in ventre epulis, hoc ipso, quod unius concoctionis vitium alterius robore nunquam corrigatur. Quod vero studiosos literarum imbecillus stomachus potissimum exerceat, haec esse causa putanda est, quoniam intempestivioribus studiis (sive haec protinus a cibo, sive noctu fiant) plus aequo vacant, tum quia dulcedinis disciplinarum gratia libris continenter affixi, necessariae ad sanitatem exercitationis usum fere negligent: Hinc enim *) coire intus pituitam: hinc stomachum affluentium excrementorum multa faburra onerari necesse est, quandoquidem haec ista pars (sicut GALENO visum est) ut primum semel labefactata est, protinus recipit superfluum universi corporis materiam. Eadem insuper calamitas complures etiam oppidanos afflicta, ut qui ob rerum omnium affluentiam dissolutius victitant, otioque (re omnium perniciosissima) torpescunt. Ergo id genus ho-

*) Gal. 6. sanit.

minibus omnibus CELSUS edicit, ne antea mane surgant, quam pridianam coenam ventriculus subegerit. Recte enim semper negotia postponuntur concoctioni, quam quies, multoque hac magis somnus promovent, scilicet dormientibus, quia motionis sensusque instrumenta otiantur, calor spiritusque pene omnis in penitissimis occultitur praecordiis, omnia ibidem, quae concoctionis egent, perficiens, suoque veluti numine tutelari nulla non naturae opera collustrans. Sane hunc caloris ad interna recessum ipse indicat spiritus, qui per somnum trahitur & frequentius & altius. Ex quo sciri potest, recte id ab HIPPOCRATE positum fuisse *) *vigilans exterius calidior, intus frigidior: dormiens contra.* Haec ista paulo accuratius consideranti mirum videri desinet, quod CELSUS praecipit, tantisper absque omni negotio esse quemque oportere, imo si licet, etiam dormire, donec ventriculus in totum suo munere sit perfunctus. Nam quis unquam dubitavit laborem cruditati adversari, quietem certissimum auxilium esse, quatenus sub hac alimenti concoctio, sub illo distributio magis vigent?

*) Hipp. 1. Epid. IV. §. 33.

Qui crudum sine praecordiorum dolore ructat, is ex intervallo aquam frigidam bibere debet, & se nihilominus continere. Habitare vero aedificio lucido, perflatum aestivum, hybernum solem habenti, cavere meridianum solem, matutinum & vespertinum frigus, itemque auras fluminum atque stagnorum, minimeque nubilo coelo soli aperienti se committere, modo frigus, modo calor moveat. Quae res maxime gravedines destillationesque concitat. Magis vero gravibus locis ista servanda sunt, in quibus etiam pestilentiam faciunt.

Improbam ventriculi concoctionem ructus arguit. Hic si aspero quodam acore fauces perstringit (*οξυρρυμία* Graeci nominant) frigidis causis innectitur, estque vaporosus quidam spiritus ab invalido calore intus genitus, subindeque per os supra explosus. Dixi invalidum calorem, ejus primum respectu, qui penitus oppressus victusque cum sit, summam parit cruditatem: quoniam potis non est cibos extenuare, neque dissolvere, neque conficere, nedum halituosos inde spiritus excitare. Jam

vero, qui calor nimius est, adeo omnia quae ventriculo comprehenduntur, exurit tabefacitque, ut ne tantillum quidem reliquum faciat idoneae ad crassi frigidique vaporis generationem materiae. Nimirum qui hic ructus supervenit turbidus quidam, siccus fumosusque flatus est, propter vehementem caloris intemperiem (ut GALENUS ait) & paucus, & durationis non longae. Tametsi non ignorem, hunc quandoque ructum pertinaciorum evadere, utique si flava ab jecinore bilis in ventriculum mittitur, aut si quae adsumuntur edulia, sunt multi nidoris, ut allium, radicula, cepa; seu facillimae alterationis, ut lac, oleum, ovum forbile, & similia, quae fervidus ventriculus protinus extorret, vitiatque. Caeterum (ut ad rem propositam veniamus) de istiusmodi ructus genere, minime intelligenda *Autoris* haec oratio est. Nam quam hoc loco ipse molitur retinendae intus materiae concoctionem, ea nidoroso ructui penitus futura est inutilis. Scilicet quae hunc movet materia, quoniam neque ullo naturae beneficio fieri salutaris, neque in integrum restitui potest, qua via primum licet, infra suprave exterminanda, nullatenus (firmato frigida stomacho) intus cohibenda est, idque ne venas semel ingressa benignos quoque succos sua

putrescentia contaminet. At vero acido ructui nulla hujusmodi opus vacuatione est, rectius concoctio adhibetur, quae id, quod parum exacte alteratum est, perficiat. Nempe hoc fretus consilio GALENUS *) materiam acidi ructus medicamine *διὰ τριῶν πιπερεων*, concoquit, fumosi *ἰερῶς πιπρῶς* usu expurgat. Acidum ructum eum intelligas oportet, qui ab infirmitate nascitur calore, sive initium imbecillitatis cruda fecerint edulia, sive humoris, qui ibi coit natura, sive nuda etiam ejus partis intemperies. Loquor haec pituitae causa, quae ex capite in ventrem destillavit, quaeque corruptione perdita non recte intus tenetur: spem enim concoctionis omnem effugit. Quis igitur jam non videt, sub crudi ructus appellatione eum denotari, cui GALENUS acidi nomen tribuit, quod certe crudo magis conveniens propriumque est? Quoniam, ut proxime dixi, calor parum validus cibos hic quodammodo dissolvit, at non omnino conficit, ex quo flatus moveri crudos naturale est; sic profecto ut in aëris incidit tempestatibus, qui aër si per hyemen boreali frigore riget, aut rursus aestivis horis sub flagranti canicula aestuat, pacatus omnino visitur, nubibus ac ventis in totum

*) Gal. 1. 108. affect.

carens, idemque contra mediis inter has constitutionibus nimbis, ac flatibus turbatur. Sed haec posuisse sufficiat de propositi symptomatis natura: quare ejus jam nunc explicandum remedium est. Ac primo quidem illud jure quis mirabitur, quo modo potui sumpta frigida, frigido ventriculo subveniat, cum indubitatum tritumque medicis axioma sit, contrariorum usu contrariis remedia dari. Adhaec si GALENUS *) in porrigenda frigida usque adeo cruditatem horruit, ut ne iis quidem, quos ardentissima febris extorret, eam ante concoctionem indulserit, quanto majore reverentia metuque fanis cruditate vexatis largiari, quibus talis praesidii neque tam anceps est occasio, neque tam urgens necessitas. Quid ergo? Errare potuisse CELSUM in tanta re credimus? Minime Hercule. Nam quis unquam antiquorum virorum scripta tuto condemnavit, utique cum in his, quae in speciem falsa sunt, ea saepe diligens inquisitio rectaque ratio non solum probabilia facit, sed etiam firmissimo veritatis robore solidet? Ergo CELSUS frigidam hoc loco potui dat, non quidem continenter, atque saepius inter cibos (ut fit) bibendi gratia, sed per intervalla duntaxat. Sed qualia tem-

*) Gal. 6. Meth.

pora huic rei legi, aut quanta haec esse intervalla expediat, quoniam ipse autor non junxit, aequum est nos id partim ex artis praeceptis eruere, partim ex aliis hujus viri scriptis (si qua fieri via potest) contestatum facere. Frigida, inquit AVICENNAS, inani ventriculo perniciofa est. Idem & ratio ostendet, si quis ejus potionis naturam curiosius intueatur. Nam cruda cum sit, ac vehementi frigore aspera, inanem ventriculum protinus offendit, seu nervaceum, ipsumque suapte natura frigidum, nec ullo jam cibo adversus crudi elementi vim communitum. Cujus quoque rei periculo adjicitur praesens ventriculi cruditas, quae sola prohibere usum aquae potest, utique si inter cibum potionis quotidianae vice sumitur. *) Sed ipsum forte praestiterit audire CELSUM, qui laxitatem suffrigidi stomachi curaturus, sic inter caetera loquitur: *Legere clare oportet, ambulare, pila armisve exerceri, non aquam, sed vinum calidum jejunus bibere, uti post cibum frigidis potionibus.* Adeo apparet, quocumque te verteris, frigidam (si unquam hic ea dabitur) non nisi protinus a cibo recte dari posse, idque non tam sedandae litis (quae hic fere nulla est) quam adstringendi firmandique stomachi gratia. Ve-

*) Lib. 1. cap. 2.

Verum ne sine validiore pondere argumentorum nova condere dogmata, ac παράδοξοις esse nonnullis videar, non dubitabo partim probabili ratione, partim autoritate antiquorum medicorum uti, quibus id, quod adstruo, persuasum lectori efficiam, utique cum non deesse sciam, qui diversum sunt opinati. Sed agedum, a quonam rectius ordiamur, quam ab ipso nostro CELSO, qui luculentissimis verbis (ut modo retuli) hanc rem confirmavit? Tum proximis ab hinc locis eandem repetit, faturis consulens, siquidem meliorem optent concoctionem, ut frigidae poculo sumptas dapes includant. Exstat alius in eodem *authore* locus, ipso meridie clarior, qui velut indice rem omnem hanc commonstrat. Scribitur ille tertio hujus libri capite de ventriculi imbecillitate, quae pituitae vomitum secuta est. Illic cum primum *author* tenacem crassumque humorem hyssopi, radicae, & similibus usu tenuerat deterferatque, protinus citato vomitu pituitaque exempta infirmitatem ventriculi correcturus, tum panem hesternum, tum vinum austerum, & meracum, itemque carnes assas cibumque omnem siccissimum posuit, ac novissime, postque omnem comestionem, tres aquae frigidae cyathos bibendos esse praecepit.

At missa faciemus, si voles, haec omnia, potius (ne forte uni errori fidem similibus erroribus quaeramus) HIPPOCRATEM, atque GALENUM, duo medicinae lumina, super hac re consulturi. Ergo GALEN. *primo Sanitatis tuendae* adeo frigidae potum a cibo non reformidavit, ut ipsis etiam pueris indulserit, utpote inexhausta semper cruditate propter assiduam voracitatem gravatis. Quippe huic malo ideo data a cibo frigida medetur, quod arctatis circum epulas stomachi villis calorem includat, brevique in spatio coërceat, unde is protinus acceptis viribus invalescens cruda, quae intus sunt omnia, promptius edomat, & ad chyli perfectionem demutat. Adeo apparet, ut vix unquam quicquam, ita ne hoc quidem a vulgo temere dici: a frigido potu calidum sanguinem instaurari. Sane quantas vires adstringens haec frigidae vis cum ad cruditatem, tum ad crudos ructus sanandos obtineat, iis non obscurum est, qui id genus symptomatis norunt non tam alimenti concoquendi imperfectione, quam ventriculi, ejusque potissimum oris laxitate, accidere consueisse. Scilicet humectarum, atque pinguium rerum a cibo usus maxime (si quid aliud) id genus ructus movet. Quod in hoc, quo dixi modo, is praecipue fieret, sequeretur, in nullius non ven-

tricoli concoctionem perpetuo incidere hunc oportere, quatenus parvis initiis cibus omnis ad legitimi chyli perfectionem accedit. Atque haec tam eximias frigidae dotes vetustissimus author HIPPOCRATES duobus his verbis exhaustit: *Aqua vorax*. Caeterum magna cura opus est, ne eo luxu frigidum ventriculo cruditate vexato ingeratur, ut invalidas caloris in eo vires opprimat, quod fieri proclive est, similibus causis simul in unius affectus incrementum conspirantibus, ventriculi nimirum intemperie, & frigidae qualitate. Neque enim haec per se acido ructui succurrit, sed (ut proxime dixi) ex accidente, compressis scilicet ventriculi tunicis. Hoc dempto, quis unquam dubitavit ad comprehensi symptomatis sanationem calidis tum eduliis, tum poculis uti? Quomodo POLYBUS vinum meracum largius hic esse bibendum author est. Constat enim, inquit, ventriculum imbecillitatis frigorisque vitio cibum concoquere non posse. Ex quo etiam loco sciri potest, non nisi ultimo cibo frigidam aquam salubriter dari, tum cum ejus est & urgentior necessitas, & securitas major. Etenim intus substantibus epulis multo maxime ventriculo ad munus concoctionis viribus opus est, quae vires (ut toties dixi) frigidae poculo juvantur. Neque subest interea ullum refrigera-

tionis nimiae periculum, utpote aqua moderate sumpta, ac ventriculo calentibus tum ferculis tum potionibus egregie communito.

Sed his abunde, ut puto, expositis, proximum est, ad praecordiorum transire dolorem, quo subsistente inutilem frigidam CELSUS voluit. Hic dolor si ructui acido jungitur, ab ea moveri solet, quae corrupta intus pituita est, erosio (ut GALENO placet) per hanc ventriculi tunicis. Jam quia putris hic humor nulla caloris insiti energia fieri bonus potest, rectius citato vomitu ejicitur, quam firmato per frigidam stomacho intus tenetur. *) Quod si comprehensum ventriculi pathema affectus aliquis inflammationi similis invexerit, tum quoque frigido potu (nisi erysipelas sit) supersedendum est, ut quae ejus mali concoctionem tardare potest, non potest juvare. Et quidem de frigida plus satis, cujus facultatem eo latius explicuimus, ut studiosus lector intelligat, quanta saepe rerum fecunditate polleant brevissimae, atque in speciem simplicissimae veterum authorum sententiae, quarum profecto elucidatio nescias an plus exigat judicii, quam observatio ferat utilitatis.

*) Gal. 6. sanit.

Transeamus jam nunc ad quietem, secundum crudi ructus auxilium. Ipsa detentis circa penitissimas vitae sedes, sanguine, calore, spiritu, ad crudae, quae intus est, materiae concoctionem non parvo est adjumento. Qua profecto commoditate motio substantive cruditate caret, semicoctos eliquans humores, ac magna vi in extimas membrorum partes quoquo-versus impellens: unde obstructions, febres, ulceraque pullulare necesse est, juxta illud HIPPOCRATIS *) *ulcera erumpent, si impurgatus laboraveris.* Tum ipse quoque GALENUS **) *complures sibi visos narrat cruditate humorum impeditos, qui dum quiescerent, nihil sentire se profiterentur, ac insolatu, aut lavacro accensi, multoque magis labores aggressi, illico alii inhorrescere, alii rigere, multique febricula premi cernerentur.*

Porro, his ita definitis, superest, aërem domicilii addamus, ubi eum versari oporteat, qui parum accurate concoquit. Ac primo quidem, quod ad ejus pertinet qualitatem, hunc esse CELSUS vult temperatum, sic ut neque frigore corpus stupefaciat, neque calore exu-

*) vi. Epid. Sect. v. §. 50.

**) Gal. v. de caus. sympt.

rat. Ejusque rei causa author cavit, ne qui sese meridiano soli, aut maturae vesperique frigoribus exponat, tum ne, cum nubilum caelum est, soli repente se ostentanti objiciat. Sicut enim quaevis temperata (qualiacunque tandem ea sint) concoctionem crudorum juvant, ita quae vehementius vel calent, vel frigent, hanc pervertunt. A calido quidem cruda liquefcunt, fluxaque fiunt, tam hinc per corpus omne diffusa obstructions exilibus mesenterii vasis, ac visceribus inferunt. A frigido autem eadem haec magis incrudescunt, & concoctioni fiunt rebelliora. Sic quoniam utrinque ab extremis vitium est, recte medium tenetur, ac domus deligitur, quae per flatum aestivum fenestris receptat solem hybernum. Cujus rei commoditatem neque ipse praeteriit silentio GALENUS *) his praecipiens, quos cruditas male habet: ut *aedificium legant, quod hyeme caleat, ac frigeat aestate.*

Atque haec de aëris qualitate. Substantiam esse convenit tenuem, lucidum, atque purum, qui omnibus ex aequo naturis juxta salutaris est, utpote spiritus nostri substantiae quam reficit simillimus. Itaque fugiendus is erit, qui

*) Gal. 1, Meth.

ex profundo specu pestilentem auram spirat, aut qui editis undique montibus cavo inclusus loco putrescit, omnique afflatu ventorum caret, tum qui stagni, aut paludis tetro halitu infectus, aut proximi fluminis occasione nebulosus est. Quo magis errare vulgares constat, qui aerae salubritatem spatiosorum amnium vicinia metiuntur. Sicuti enim amœni decurrentium aquarum adspectus oculos multa detinent voluptate, ita contra utramque valetudinem maximis sollicitant incommodis. Verique simile est, non admodum quenquam sub eo cœlo valere posse, quod nebulosum, quod crassum, quodque redditis ab humecto elemento vaporibus impurum est. Videlicet præcipua aëris dos serenitas putatur, ac proin præstare creditur rusticus urbano, agrestis pratensi, mediterraneus maritimo, montanus palustri, terrestri fluviali, siccus pluvio, fudus nebuloso, meridianus matutino, diurnus nocturno. Porro quae proxime comprehensa sunt aerae vitia, ut nunquam non sunt cruditati molesta, ita tum quoque penitus fiunt perniosa, cum inaequales cœlo tempestates imperant, sic, ut illud modo caleat, modo frigeat, ac modo fudum sit, modo rursus obscurum. Nempe haec aëris varietas concoctionem crudorum turbat, inque salubrioribus natura locis destillationes

movet, in gravibus ipsam quoque excitat pestem. Destillationes urgent, ubi capitis superflua vi frigoris genita concretaque, superveniente fusa calore diffluunt, aut cum eadem haec calore prius tenuata, ab incumbenteque mox frigore stricta in subjectas capiti sedes (seu spongiae per manum humor) exprimuntur. Quos casus tum demum incidere compertum est, cum auster, ac boreas invicem spirant. Ille cerebrum excrementis opplet, hic eadem exprimit, aut certe quae boreas prius quadam quasi congelatione stupefecit, auster fluxa reddit. Pestilentia fit, cum propter hanc tempestatum inconstantiam tota aëris substantia vitatur. *Ubi enim eodem die, inquit HIPPOCRATES *) modo calor urget, modo frigus, autumnales morbi in proximo sunt, in quorum profecto catalogo epidemiae (nam in his & pestis est) facile primas tenent.*

Scire autem licet integrum corpus esse, quum quotidie mane urina alba, dein rufa est. Illud concoquere, hoc concoxisse significat.

*) Hipp. Lib. 3. Aph. 4.

Commonstratis hactenus tum notis, tum remediis ejus cruditatis, quae ventriculo concoquenti accidunt, digreditur jam CELSUS ad declarationem secundae concoctionis, quae in jecore ac venis absolvitur. Ut autem ventriculi dispositionem ructus arguit, sic hepatis ac venarum urina. Quid enim fidelius concoctionis modum ipsis annunciet excrementis, quae in unoquoque alterationis instrumento coire consuerunt? Ipsa vero urina aquosum hepatis, ac venosi generis superfluum est, quod sic a sanguinis massa sequestratur. Ejus humoris quantum corpori ad succorum anadosim inutile superfluumque est, id e cava vena renes venis emulgentibus, seu manibus quibusdam attrahunt, atque hinc deinceps per ureteres in vesicae cavum propellunt, ubi mole auctum, aut alioqui mordaci qualitate affectum, recluso eo, qui in vesicae collo est transverso musculo, foras eliditur. Adeo apparet, urinam nihil aliud quam sanguinis quoddam colamentum esse, eoque haud dubia fide affectionem hepatis, ac vasorum (non intervenientibus locorum ureticorum vitiis) indicare posse. Quo magis in febribus putridis (utique si nihil abditae contagionis subest) urina contemplanda est, tum quia hi morbi affectiones quaedam

sanguinis venarum sunt, tum quia GALENUS *) affirmavit: *eorum, quae in profundi corporis occuluntur penetralibus, nullum esse nec manifestius, nec evidentius signum unica urina.* Ergo in hoc genere excrementi, quoniam haec fere spectari consueverunt, substantia, moles, color, & contenta, visum est operae pretium ex singulorum animadversione docere, quae urinae species integritatem concoctionis annunciet. *Laudatissimam GALENUS **) censuit, cui supra mediocritatem substantiae, iustumque modum fulvus, seu rufus color, et hypostasis alba, levis, et aequalis accessit.*

Non meminit haec omnia CELSUS solo coloris boni praesagio contentus. Fere enim sequitur, ut is comprehensis indiciis jungatur. Et quis quaeso sanus adeo curiose ista omnia quotidie scrutari in urina sustineat, cum abunde sit, unicum attendere colorem, qui mejentibus primum datur ob oculos, quique si albus est, concoquere naturam: si rufus, concoxisse significat? Priorem cave intelligas ex toto album, qualis in aqua visitur & in eorum urina, quibus liberaliora pocula venas

*) Galen. iv. de sanit.

**) Gal. iv. de sanit. tuend.

onerarunt. Iste enim color summae crudita-
tis argumentum est. Videlicet ubi insitus he-
pati calor adducto per mesaræas chylo non-
dum evidens aliquod alterationis vestigium
impressit, vixque fieri coeptum est *αἵματωσως*
rudimentum, necesse est, quicquid humoris
per id tempus inelaboratae alimenti massae
deteritur, aquosum id crudumque esse, ac ne
tantulae quidem particeps bilis, quae ipsi
splendorum fulvique coloris gratiam conciliet.
Est enim hic humor ex sese nil nisi aqua, sive
ad colorem spectes, sive substantiae modum,
quae ambo nunquam ipsi demutantur, nisi aut
bilis aut alterius humoris seu materiae accessu.
Et quidem in recte valentibus ut plurimum
unica eam colorat bilis, ut quae pro sua te-
nuitate prompte una cum sero ad renes dif-
fluit, ejusdemque succi merito fit, ut in nobis
urina tum fulvescat tum appareat.

Igitur omnis urinae bonitas atque *εὐχροία*
in castigata consistit succorum, ac proin flavae
quoque bilis productione, estque adeo qui-
dam veluti gradus, juxta quem gradum plus
accipiunt tum humores rudimenti, tum urina
fulvi coloris, sicut quo tempore inchoata in
jecore concoctio est, hujus quendam seu cha-
racterem protinus urina monstret, tum non.

nihil quoque de suo albore amittat, accepta qualicumque bilis particula. Oriturque subinde color ex albo rufescens, Graecis ἀχρολευκός appellatus, qualem arte, puto, feceris, si aquaelympidae sextario croci scrupulum mifceas. Haec crasis colorem propositum ostendet, cui apud Romanos nullum est inditum nomen, ideoque CELSUS ipsa re coactus, album dixit, quod etsi vehementer dilutum est, rufedinis tamen principia quaenam accepit. Ut primum vero ad ulteriorem perfectionem succos alterando jecur perduxit, utique plus bilis urinae affunditur, quatenus plus ejus in sanguinis massa inest, protinusque color exurgit exacte inter album et rufum medius, Latini *pallidum* id, Graeci ὠχρόν appellant. At perducta ad umbilicum concoctione, novus in urina color efflorescit, quem GALENUS πυρρόν, HIPPOCRATES κορρόν, CELSUS *rufum*, LINACHER *fulvum* nominaverunt, estque hic omnium testimonio atque confessione probae concoctionis infallibilis index. Procedit vero semper haec ista colorum gradatio una cum incremento concoctionis, adeo ut superexcoctis succis rursus excipiat flavus, atque hunc deinceps rubeus, ob flavae scilicet bilis affluentiam ignescens. Prior Graecis ξανθός, alter ἐρυθρός est appellatus. Sed GALENI

de hac re sententiam proponere, fatius est. Is sic habet *primo criseon*: Ὅσον δέσσι τὸ πύρρον τῆ ξαντῆ λεσχίτερον, τοσῶτον ἐκείνῃ τὸ ὠχρόν. Ὅσον δ' ἂν πάλιν ἡττον λευκὸν ἔσι τὸ ξατόν τῆ πορρόῃ, τὸ σῶτον τῆ ξαντῆ τὸ ἐρυθρόν, quod est: *Quantum autem rufus color albedine superat flavum, tantum pallidus vincitur a rufo. Rursus quanto minus albedinis fortitur flavus rufo, tanto quoque minus flavus rubeo.* Haec ille. Porro ad rem pertinet novisse, hunc quem CELSUS probatissimae urinae colorem statuit, non ita perpetuum esse, quin saepe pro cibi, potionis, aetatis, temperamenti, propositi vitae, regionis, temporis, anni & similibus rerum differentia alias paulo albentior, alias ad flavum inclinatio apparet, qui nihilominus optatae concoctionis index esse certus potest.

Ubi experrectus est aliquis, paulum intermittere, deinde (nisi hyems est) fovere os multa aqua frigida debet, longis diebus meridiari potius ante cibum, sin minus post eum, per hyemem potissimum totis noctibus conquiescere. Sin lucubrandum est, non post cibum id facere, sed post concoctionem.

Quisquis alimentum ventriculo exiisse, jecurque suo probe fungi officio consulta urina mane comperit, protinus e lectulo surgere, paulumque intermittere, seu interquiescere a vitae negotiis debet. Quod ita praecipitur, ut cerebrum (cujus vires somno obrutae, ac quasi sepultae jacuere) paulatim sese ad novas actiones erigat, utque missi non impetu, at lento motu spiritus motionis sensusque instrumenta jam tum excrementis, fermentatione collectis, impedita, placidius permeent, diducant, repurgent, ac sic functionibus reddant accommodatiora. Quibus rite peractis, non inutile est multa frigida os eluere, unde mirifice cerebrum firmari deprehensum est, coacto intus auctoque in capite calore, sic ut hujus beneficio, ac robore, quae per noctem ibi coierunt superflua, tenuari pellique foras contingat. Est tamen hoc auxilii genus ita temperandum, ne pari per quaevis tempora luxu tentetur. Nam cautius eo utendum, imo forte prorsus abstinendum erit, si hyems est, si cerebrum impen- se frigidum, si fauces propter imbecillitatem recipiendis fluxionibus opportunae sunt, si denique ipsa aura asperrimo frigore rigens, idve genus alia circumveniunt, quae crudi elementi occursum excipienti palato, vicinisque locis periculofum reddunt. Etsi non diffitemur, id prae-

ceptum non ita esse perenne, quin pereat interdum, utique si neque dissuetudo reclamatur, neque copiosa adhibetur aqua.

Porro meridiari, quod est somnum meridianum capere, iis apprime concessum est, qui huic assuerunt, tum quibus bona noctis anteactae pars ducta infomnis est, magisque aestivis mensibus, cum dies ut productiores, ita ad meridiandum magis idonei sunt. Nempe quoniam per haec tempora genuinus calor sub aestuoso caelo plus justo dissolvitur, corpusque supra modum inarescit, non male his incommodis ipso occurritur somno, cuius opem calor ante per habitum sparsus, intro rediens colligitur, tum corpus compressis naturae effluviis humectatur. Oportunius autem ante cibum meridiatur, quia tum corpori deficit, quod nocentem somnum diurnum facit, ipsum scilicet alimentum. Quamquam plenioris humectationis gratia non inutile fore crediderim, si quis ante tantulum assumat idonei cibi, quantum ventriculus sub ultimum somnum probe confectum reddat. Notum enim est, somno jejunum corpus consumi, id quod aestate adversissimum est. Quod si satur aliquis de die somno se dederit, huic profecto alterutrum ferendum est, aut septenas circiter

horas continenter fiertere, aut concoctionem experrectus turbare. Primum ignavi hominis, alterum valetudinem negligentis est. Illi tempora superfunt, huic male leguntur. Neque enim, cum praepropere surgitur, ad umbilicum ducitur concoctionis munus, sed cibi crudi pars in caput exhalat, pars ventriculum onere & quidem inutili premit. Unde protinus capitis, ac praecordiorum dolores, ac tensiones fiunt, jungunturque his ὄξυρρυμιαν, & ventris sonitus, & nauseae, & corporis mentisque torpor, & si quae his paria sunt somni pomeridiani taedia. Jam vero si ante cibum meridiandi facultatem negotia sustulerunt, & meridiari tamen animus est, haud abs re videatur post ipsum id facere meridiem, cibo prius modice gustato, potissimum, si corpus insuper intemperie sicca imbecillum est. Et quidem haec observatio aestati debetur.

Per hyemem consultum est, missis lucubrationibus, totas noctes conquiescere, quo tanto accuratius cibus conficiatur, qui id temporis valentior concoctionique magis rebellis, & cumulatio est. Si qua tamen lucubrandi necessitas est, prima id fieri noctis particula cautum est, idque ne cruditas moveatur, raptis e praecordiis ad mentis arcem spiritibus vitalibus.

Proin

Proin feueriora studia rectius capeffimus a fomno subque ipfam auroram, cum fpiritus animales quiete inftaurati, crudisque cibi vaporibus jam non amplius impediti, quin & copiofo vitalis aurae a corde venientis afflatu recreati, ad res cognofcendas menti quam feliciffime inferviunt. Quapropter ftudiofos literarum hoc loco monitos velim, ne faturi altioribus animi intentionibus feffe dedant, quae nihilominus concoctionem turbare quam vehemens corporis motus folet. Quin potius quaedam animi quafi laxamenta quaerant, quibus natura corporis delinita, longe cum citius, tum exactius confectum dederit, quod intus eft, alimentum.

Quem interdium vel domestica vel civilia officia tenuerunt, huic tempus aliquod fervandum curationi corporis fui eft. Prima autem ejus curatio, exercitatio eft, quae femper antecedere cibum debet, in eo, qui minus laboravit, & bene concoxit, amplior: in eo, qui fatigatus eft, & minus concoxit, remiffior.

Perdifficile eft, authore GALENO, eorum tueri fanitatem, qui privatis negotiis,

G

aut civilibus ita destinantur, ut nullam sui corporis gerere curam possint. Quapropter hos vel insigniore intemperie (quae tamen morbo vacet) affectos idem author ne traducere quidem ad meliorem naturae statum dignatur, utpote qui propositam vivendi normulam perpetuo sequi per occupationes nequeunt, maleque audire faciunt remedia, quae recte usurpantibus non infrugifera fuere. Hortatur eos homines **CELSUS**, ne ita attente vel sua vel aliena curent negotia, ut nihil interea proprii corporis salutem respiciant. Multum cum ad animi voluptatem, tum ad sanitatis tuitionem exercitatio potest. Nam & nativum calorem facultatis omnis authorem exauget, & corpus univrsum onere excrementorum levat. Quo minus mirum est, degentes ruri agricolas, oppidanis magis firmos, ac vitales esse. Istius siquidem rei facultatem praestant labores, quos ipsi opere rustico faciendo in dies exhauriunt. Estque hujus rei tanta vis, ut valetudinis incommoda, quae multa agricolas propter victus errorem circumveniunt, sola minuat excludatque exercitatio. Certe immensa Gymnasticas utilitas effecit, quod antiquitus ad curandam sanitatem nihil ea habitum sit prius, quodque eam scripto celebrarint vetustissimi quique medicinae authores **HIPPOCRATES**, **DIO-**

CLES, PRAXAGORAS, GALENUS, ipseque Aristotelis gener ERASISTRATUS.

Ergo sua cuique amplectanda corporis exercitatio est, non tantum ut commodius, verum etiam longius vivat, eaque non nisi ante cibum esse utilis potest, quemadmodum ante CELSUM parens HIPPOCRATES *) docuit, his verbis: *πόνος σιτείων ἡγείσθωσαν*, id est: *labor cibum antecedit*. Cujus quidem praecepti ratio ex ipso motionis effectu colligitur. Nam si paulo validior motus (quem exercitationem vocamus) eorum, quae in alto sunt abdita corpore, distributionem ad extima promovet, quis dubitet, hunc corpori gravem fore, si qua cruditas ventriculum, jecur, venasve ex inelaborato alimento obsidet? Neque enim semicocta liquefcere, ac quoquo versus in habitum corporis ferri expedit, sed potius intus decet manere, viscerumque robore alterari, & in sanguinem non improbum verti. Idcirco priusquam estur, exercitandi summae opportunitas est, tum scilicet, cum cibus bis jam secundum totam alteratus substantiam est, ac jam denuo cibandi tempus instat. Simul vero & alvi, & vesicae onera, si quae pre-

*) Hipp. vi. Epid.

munt, per haec tempora prius levanda sunt, ne quid ex his motionis calorisque vi tenuatum, in venas, atque corporis molem feratur. Sane propositi temporis nota ex urina petitur: quae si rufa plus minus apparet, & optatum duplicis concoctionis finem, & commodum exercitationis adesse principium commonstrat. Hunc temporis articulum quisquis laborando non attigerit, necesse est, ut si infra est, cruditate venas oneret: si supra, succos solidasque partes tabefactione violet. Atque haec dixisse de exercitationis oportunitate sufficiat. Ideoque proximum est, ut quis ejus esse per omnia debeat modus, videamus. In eo, inquit CELSUS, qui minus laboravit, & bene concoxit, amplior ea esse debet, partim quia tutior utiliorque est, cum quis probe concoxit, partim quia ei minus futura molesta est, qui parum laboravit. Rursus qui minus concoxit, & fatigatus est, duplici itidem nomine praevegetum respuit exercitium, tum ne cruditatis obstructionisque occupet periculum, tum ne corpus ante fessum, ac mox valentiore motu exagitatum penitus defatigetur. Siquidem afflicto, ut dici solet, non est ingerenda afflicto.

Commode vero exercent, clara lectio, arma, pila, cursus, ambulatio; atque haec non utique plana, commodior est. Siquidem melius ascensus, quoque & descensus, cum quadam varietate corpus moveat, nisi tamen id per quam imbecillum est. Melior autem est sub divo, quam in porticu, melior (si caput patitur) in sole, quam in umbra, melior in umbra, quam parietes aut viridaria efficiunt, quam quae tecto subest, melior recta, quam flexuosa,

Enumerat jam CELSUS ea genera exercitationum, quae valetudini sunt accommodatiores. Ex his aliae alias, atque alias partes magis permovent, aliae tota aequaliter corpora. Ac pila quidem palmaria caeteris exercitii generibus longe antecellit, quatenus summa cum placiditate, atque optima motionis proportione, sineque omni eo periculo, quod aliis exercitationibus non infrequens est, universi corporis membra permovet, indeque adeo fit, ut & pueris, & senibus, ipsisque convalescentibus (GALENO * iudice) non sit in-

*) Gal. de usu parvae sphaerae.

idonea. Cumque cele' cursus grandis alicujus vasis diruptionem mineur, ac voces altae confertimque emissae pulmoni, totique thoraci negotium facessant, cumque insuper meditatio armorum complures mitilet claudosque faciat, nostra profecto pila adeo est ab hisce incommodis aliena, ut si qua imminent, etiam arceat. Licet enim in hoc genere lusus (ut GALENUS dixit) pro cujusque arbitrio labores alias remittere, alias in summam vehementiam intendere, modo membra simul omnia, modo alia prae aliis studiosius movere. Ad quas omnes sphaerulae dotes, seu praerogativas accedit, quod nulla sit alia exercitatio, quae animum aequae vegetum, aequae alacrem, majoraque delinitum voluptate efficiat. Ideoque illud PLATONIS non possum non probare: *nunquam recte corpus exerceri sine animo, neque animum sine corpore posse.* Quid multis? Hic iste pilae lusus unus instar omnium est, omni aetati, omni fortunae, ac negotio juxta commodus, ejusque rei causa, usque adeo fuit GALENO commendatus, ut de eo singularem composuerit libellum, qui *de usu parvae sphaerae* inscribitur. Sed ad claram lectionem veniamus. Haec partes omnes respirationi inservientes exercet, utique si cum ingenti fit intonatione, seu quodam vocis frago-

rc. Tum namque iteratis saepe vicibus spiritus intro ductus magno impetu magnoque pectoris conamine, continenter effertur, ex quo incidit, ut non solum partes respiratoriae incalescant, pandantur, ac repurgentur, sed illae etiam, quae juxta sunt, ipseque ante omnes ventriculus, cui idcirco robur parari, si imbecillus est, multa jam experientia, ac CELSI testimonio, creditum est.

Caeterum armorum meditatio corpus quidem totum, uti pila exercet, at motus habet justo vehementiores; cursus, ambulatio, permovent quidem magis corporis inferiora, at motus haec habet placidiores, ille plane vehementes. Cursus robustis, ambulatio infirmioribus corporibus accommodatior est. Haec paulo reddetur vehementior, si asperis fiat locis, sic ut iterato alias superare colliculos, alias per declivia se praecipitare necesse sit. At CELSO quidem ea magis probatur ambulatio, quae sub dio fit, quam quae in porticu, quoniam illic puriore aëre corpus perflatur. Adhaec melior in sole exercitatio est, quam in umbra. Sic enim corpus solaribus radiis citius incalescit, ac patefactis cutis spiraculis promptior excrementorum fit exitus. At vero si caput prae imbecillitate ferre vim

folis nequeat, facileque effumationibus tente-
tur, tum utique praeferenda fuerit umbra ea,
quam viridaria aut parietes sub Jove faciunt,
non item quam tectum a coelesti aura seclu-
dit: illic namque aër purus atque illustris, hic
crassus, putidus, ac quodam veluti situ im-
mundus est. Porro quod ambulatio deterior
sit flexuoso, quam quae recto fit tramite ac
processu, haec esse causa putanda est, quod
ob spirituum animalium in cerebro oberratio-
nem, seu quandam vertiginem caput turbetur,
eoque modo exercitatis taedium motionis quam
ocissime subrepat.

Finem hic de ambulatione dicendi face-
rem, nisi id restaret explicandum, cur eadem
haec, si asperis fit locis, corpori admodum im-
becillo sit inutilis. Qui locus ut rectius intel-
ligatur, illud ante omnia scire convenit, ac
certissimae regulae loco habere, motionem
omnem viribus corporis perpetuo parem esse
oportere. Itaque si hoc imbecille est, ut mo-
deratis placidisque agitationibus firmatur, sic
gravibus elanguescit, ejusque rei causa fit, ut
qui robusto adolescenti ac juveni labor est uti-
lis, idem puero, seni, convalescenti, vehe-
menter officiat. Neque vero id tantum de
totis corporibus, sed de ipsis etiam privatim

particulis sentiendum est. Nam quem ex levi causa, vertigo, epilepsia, lippitudo, destillatio, tonsillae, angina, & id genus morbi tentant, iis profecto exercitationibus omnibus laeditur, quae caput fatigant. Tum eum, qui cruribus parum valet, cursus debilitat; cui pressus thorax est, vociferatio periculosa est; quem brachii robur deficit, jactus discus enervat. Id loquor genus motionis, quod paulo validius est, quodque Graecis γυμνασίων, Latinis exercitatio appellatur. Nam quod lene placidumque est, imbecillo tum corpori, tum particulae adeo non officit, ut etiam magnopere proficit. Quin etiam motionem hic paulummodo intendere saepe permissum est, utique si neque praesens morbus, neque in propinquo senectas est. Ægrotantibus enim particulis & corporibus senescentibus quoniam exigua vis est, aut quies integra, aut motio nonnisi levis, idonea sunt. Ac proin non sine causa CELSUS hoc loco monuit perquam imbecillum esse corpus oportere, cui aspera ambulatio sit nocitura.

Posuimus ea genera exercitationum, quae sanis ad curandam valetudinem sufficiunt. Quae vero his violentiora sunt, non tam exercitia, quam opera vocanda sunt, utpote cum

quis humum fodit, segetes metit, vites putat, remigat, arat, falit, iter facit, discum jacet, onera praegrandia gestat, luctatur, confertis cum alio manibus depugnat, aut simile quid operis aggreditur, quod vires affatim exhaust. Merito autem CELSUS ista omnia, quoniam nimis violenta sunt, praeteriit, ad palestritas ea rejiciens, quibus maximi roboris ostentatio prior tuta corporis valetudine est. Etsi non diffiteor, pleraque operum horum non penitus hominibus firmis detrectanda esse, quin potius haud raro plurimum credam valere ad articulos musculosque firmandos. Id quod GALENUS *) optime perspiciens, ipse sese hujusmodi laboribus nonnunquam duravit, quoties inter agrestes (ut ipse refert) per hyemem aut ligna finderet, aut hordeum in pila contunderet, ac degluberet. Verum meminisse convenit, hanc rem firmis hominibus non nisi raro prodesse, semper imbecillis nocere.

Exercitationis autem plerumque finis esse debet sudor, aut certe lassitudo, quae citra fatigationem sit, idque ipsum modo minus, modo magis faciendum est. Ac ne

*) Galen. de sanit.

his quidem Athletarum exemplo, vel certa esse lex, vel immodicus esse labor debet.

Exercitationem omnem (ut proxime dixi) corporis viribus parem esse decet, quare ab illa protinus desistendum, ut primum hae laborare coeperint. Laborant vires, si post effusissimos sudores contractamque lassitudinem ultra quis exercitetur. Caeterum novisse oportet lassitudinis nomine non idem CELSO atque GALENO significari. Hic enim fieri eam scribit per nimias exercitationes, plus justo siccatis calefactisque articulis & musculis, ideoque confluentis eo cum excrementi humorum, tum partium liquamenti infarctu impeditis, dolentibus, atque ad motum pigris. Illud vero symptoma iis tantum, qui sinistro exercentur, accidere consueisse idem GALENUS *) author est. At totum quidem hoc CELSO fatigatio est, habeturque lassitudo id fessorum artuum pathema, sub quo leniter quis dolet, quodque finitis laboribus quam mox ultro perit, & omnibus rite exercitatis accidit. Et haec iis sufficiant, qui de voce controversiam mo-

*) Galen. de sanit.

vent. Quod ad sudorem pertinet, in ipsa etiam re proclivis error est. Multos namque videas, vel propter aquosi humoris redundanti-
 am, vel raram corporis texturam ad primos quosque labores effusissimo sudore diffluere, quibus ob id tamen finis exercendi non protinus est imponendus. Sunt alii, quibus contrarias ob causas vix tandem sudor perrumpit, cujus largior efluxus corpus consumit. Ergo discernere inter varia sudoris genera convenit, scireque, quem corporis natura, & quem laboris nimietas magis fundat. Et quidem qui motionis initio ubertim effluit absque ulla corporis lassatione, aut vividi coloris detrimento, is sane humecto excremento corpus scaterere, aut perspirabilem admodum habitum, aut utrumlibet ostendit, neque ante laboribus finem praescribit, quam ejus jam in effluendo impetus deficere, guttaeque frigidiores nec calido illo vapore amplius fumantes emanare, tum color decorque perire, corpus detumescere & ad motiones segne fieri coeperint. Neque hercle notas has, donec venerint, expectare convenit, sed prius quam occupent, antevertere. Eo autem temporis articulo porro ire, neque laborare desinere, prorsus alienum est, quoniam metus est, ne consumpto corpore tabes occupet. Cujus rei notam ipse etiam HIPPOCRATES

in epidemiis proposuit *) , sic loquens: *In exercitationibus signum extenuationis sudor stillatim effluens, veluti ex tubis canalibusque manans, vel concidentia ab extuberatione.*

Caeterum quia suus cuique corpori modus in exercitando servandus est, prout habitus, aetas, natura, & consuetudo ferunt, non sine causa junxisse CELSUS videtur, modo minus laborari, modo magis oportere. Neque enim omnibus omnis labor juxta commodus est, sed qui modicus bilioso confert, idem pituitoso adeo non prodest, ut difficilem saepe cruditatem atque obstructionem conciliet. Ac rursus, qui huic gravis conducit, illi perniciosus est, adeo ut sub hoc & extabescere corpus, & febres moveri periculum sit. Quemadmodum enim pituitosus graviori labori est ferundo, ita huic vix aliud genus exercitii convenit, quam ambulationis, ejus quae adeo quoque sit placida, ut ne laboris quidem nomen mereatur. Nempe calidis siccisque naturis solas communis vitae actiones abunde esse ad corporis exercitationem GALENUS **) scri-

*) Hipp. VI. Epid.

**) Galen. V. de sanir.

būt, ut cum quis in foro indies observatur, necessarios, fana, scholas, theatra, aegrotos adit, aut domi ipse suae quid rerum meditatur, quo vires corporis nequicquam convellantur. Quae vitae officia HIPPOCRATES in comprehensis corporibus adeo ab omni lassatione voluit esse aliena, ut ne tantillum quidem videantur ab consummata quiete differre. Ipse in *Epidemiis* sic loquitur. *Calidis naturis refrigeratio, potus aquae, quies utilia sunt.* *) Quae posthaec CELSUS de athletico labore subjungit, ea suo loco abunde disputata superius sunt.

Exercitationem recte sequitur, modo unctio vel in sole, vel ad ignem, modo balneum, sed in conclavi quam maxime & alto, & lucido, & spatiofo. Ex his vero neutrum saepe fieri oportet, sed saepius alterutrum, pro corporis natura. Posthaec paulum conquiescere opus est.

Tres erant antiquis partes exercitationis. Prima frictiones continebat (Graeci τριψες appellant) quibus leviter corpus eosque per-

*) Hipp. 6. epid.

tractabatur, donec floridus quidem color per cutem omnem diffunderetur, idque eo ipsi factitabant instituto, ut aptior habiliorque homo esset ad subsequendos labores. Quippe frictionis beneficio metus obstructionis atque diruptionis vasorum tollebatur, relaxato nimirum reclusoque habitu, tum superfluis attenuatis ac fuis, ipsis denique solidis calefactis, ac praemollitis. Nempe ejus rei causa frictio haec veteribus praeparatoria vocabatur, proque varia corporis affectione, modo cum oleo, modo sicca administrabatur, idque linteolis tota primum cute, donec incalesceret duriter, celeriterque perfricta, ac protinus oleo, si videbatur, nutrita. Omnis autem frictionis hanc esse vim HIPPOCRATES author est, quod quae dura est, corpus cogat, mollis solvat, multa extenuet, pauca impleat. Secunda pars exercitationis summus ille erat motionum vigor (Graeci *ανωγήν* dicunt) sub quo spiritus intenditur, sudorque calido vaporis missus ubertim promanat. Novissima omnis exercitationis rite factae pars ipsa fuit, ut author est GALENUS, apothepia, ea quam hoc loco CELSUS ob oculos ponit. Tota haec olim intra unctiones ac balneas erat, tametsi compressus spiritus huc quoque agente inter mortales GALENO spectarit. Balneae excre-

menta membris eximunt, siccata humectant, tenfa remittunt, durata molliunt, eoque modo defessa sanant. Uctiones tum haec quoque praestant haud segniter, tum adductos in habitum succos oblita cute includunt. Quamquam vero athletas, fabros, messorum, bajulos & similes grandium operum magistros, lassitudo & pejus & frequentius exerceat, quam qui suae spontis cum sint, soliusque valetudinis ergo labores adeunt, modum sibi finemque in exercitando certum constituunt, non inconsulto tamen hi quoque apotherae fructum captabunt, si non ob metum lassitudinis, at certe excrementa purgandi gratia. Jam vero ut haec res quam curiosissime observetur, perpetuum tamen in omnibus non est, finitis laboribus ungi pariter ac lavari. Rariter ambo nostris hominibus conveniunt. Appulis atque Graecis quandoque etiam neutrum, saepissime utrisque populis alterutrum, prout corpus est aut naturaliter affectum, aut labore siccatum. Inter has res probe administratas, secuturaque mox fercula, CELSUS quietem interponit, ut ejus beneficio & ascitus ab labore fervor paulatim in membris consopiat, & fatiscentes corporis meatus confidant. His enim ita ante cibum provisus efficitur, ut post neque cruditas, neque obstructio venis molesta sit.

Ubi

Ubi ad cibum ventum est, nunquam utilis est nimia satietas. Saepe inutilis nimia abstinentia. Saepe si qua intemperantia subest, durior est in potione, quam in esca. Cibus a fassamentis, oleribus, similibusque rebus melius incipit. Cum caro assumenda est, quae assa optime, aut elixa est. Condita omnia duabus de causis inutilia sunt, quoniam & plus propter dulcedinem assumitur, & quod modo par est, tamen aegrius concoquitur. Secunda mensa bono stomacho nihil nocet, in imbecillo coacescit. Si quis itaque hoc parum valet, palmulas, pomaque & similia melius primo cibo assumit.

En! quam concinna orationis serie omnem victus rationem CELSUS expediat. Nam animadversis omnibus, quae pertinebant tum ad arcendam cruditatem ventris atque venarum, tum cujusque exercitationis administrationem, protinus ad cibos venit, ut quibus esse convenit post illa omnia secundis. Nunquam inquit, utilis est nimia satietas, qua penitus naturae vis consumitur, oppresso calore, adjectisque corpori supra modum excrementis.

H

Saepe (addit) inutilis nimia abstinentia, seu quae salutare corporis succos depascit, arefcentibusque nimium solidis, seniles annos ante tempus invehit. Arguunt hoc symptomata, quae indies supervenire longiori inediae conspicamur, cujus notae sunt, Colliquatio solidorum, exustio succorum, vigiliae, inquietudines, καρδιωγμοί, pertinaces alvi & vesicae retentiones, hisque omnibus atrociores febres cum ardentes, tum hecticae, atrophiae, marasmi, spasmi comitiales, & si qui his similes sunt morbi, quorum vis omnibus machinamentis auxiliorum superior est, ut non injuria quis posse dubitare videatur, debeat nec ne plenitas levior inanitione censeretur. Sane ita fere in quaque re fieri solet, ut natura utcunque affluentiam, pessime egestatem ferat, sicut in hac ipsa, ni fallor, re. Nam copia alimenti incommodet licet venarum succis, inopia tamen, ut hoc ipso quoque malo non caret, sic membra pariter solida violat. Adeo apparet plurimum semper interesse, utrum superans an deficiens materia laeserit. Quanto expeditior ratio est, morbos plethoricos cacochymicosve concoctione, ac vacuatione extenuandi, quam solidorum ariditatem genuina humectatione corrigendi; tanto profecto levior fatietas nimia frugalitate credenda est. Idque apud HIPPOCRA-

TEM *) quoque invenio, qui in adverſa va-
 letudine tolerabiliorem errorem juſto plenioris
 dietae, quam nimis contractae exiſtimavit.
 Videlicet in his quae ſuperant, eſt quod mor-
 bus demat: in his, quae deſunt, non eſt,
 quod ipſum morbum ferat. Caeterum intem-
 perantia, ſicubi incidat, quod durior in potio-
 ne, ſit quam in eſca, cauſas non leves habet.
 Primum enim certa res eſt, pocula citius in
 venas & in extimos corporis artus penetrare
 ipſis cibus. Quippe hi avidius ſumpti, ſi intus
 concoquuntur, non niſi ſimplicem (modo boni
 ſint) adjiciunt plethoram: Si computreſcunt,
 uſus docuit, ſaepius hos vomitu, aut cita
 alvo praeoccupari, quam in venas ire, quo
 tamen ſi forte penetrent, ſuccos quidem qua-
 licunq; corruptela laceſſunt, quae tamen non
 adeo ſit cacoethes, ut vel malignitate par,
 vel ſanationis facillitate iis ſuperior vitiis ſit,
 quae concitare luxus poculorum conſuevit.
 Nam vinum, ſub quo nomine pocula ſignifi-
 camus, largius ſumptum bis eſſe noxium con-
 ſtat, tum quod ociffime venas oppleat, tum
 quod ſua vi ac qualitate (quae certe violen-
 tiſſima eſt) nervoſa in nobis corpora feriat, &

H 2

*) Hipp. Lib. 1. Aph. 5.

principum partium robur violet, sub qua calamitate hepar ac cerebrum caeteris membris & citius & gravius affliguntur. Atque hinc tantus subinde malorum acervus coit, febres ardentes, hydropes, cachexiae, insaniae, spasmi, apoplexiae, tremores, arthritides, paralyfes, iisque similes morbi, qui fidos illos patris Bacchi mystas interdum trahere non cessant, donec praecipitent. Quid, quod fere minor in cibo subfit repletionis occasio, quam in potione. Nam dapibus expleti homines vorare ulterius naturae ductu recusant, at vino graves magis magisque novis calicibus incumbunt, ac de poculorum certant magnitudine, crescente nimirum potandi cupiditate a vini potentia, ad calidum siccumque ventriculi substantiam alterante. Atque sic (ut **PLINII** verbis utar) bibendi consuetudo auget aviditatem. Id, quod tum multo maxime incidere compertum est, cum pocula intus corrumpuntur. Quippe hoc symptoma inexhausta quaedam comitatur sitis, qualis eos urgere assolet, quibus aqua cutem subiit. Hujus enim pars in ventriculi spatium rejecta, quia corrupta est, tam inextinguibilem sitim accendit, ut quo plus sint potae, plus sitiantur aquae. Putaverit aliquis illud **HIPPOCRATIS** nobis ad-

versari *), *Ράον πληροσθα ποτε ἢ σιτίσ*, id est: *facilius est impleri potu, quam cibo*. Sed id non ita habet. Nam hoc aphorismo repletionis promptitudo, non periculum significatur. Videlicet potulenta cibique humentiores, ut promptius & venas intrant, & concoquuntur nutriunturque, sic melius aridos vacuosque homines, seu analeptica praesidia reficiunt: de his namque vel ipso attestante GALENO, suum hunc aphorismum HIPPOCRATES scripsit.

Diximus de cibi ac potionis mensura; proximum est, quis eorum esse debeat ordo, proponere. Ergo sic omnis mensurae instituenda ratio est, ut facilia concoctu duris, alvum laxantia adstringentibus, cito in corpus penetrantia tarde permeantibus, elixa assis, mollia duris, pingua macris, atque humida ficcis ordine priora sint. Proin recte CELSUS suam mensuram a falsamentis auspiciatur, atque oleribus: haec enim alvum laevigando, illa abstergendo magis solvunt. Sumptis his solidus apponitur cibus, caro scilicet elixa vel assa, sive ea sit piscium, sive volucrum, aut terrestrium denique animalium; & inter haec qui-

*) Lib. 2. Aph. XI.

dem omnis nostri authoris mensa est. Nam condita ille non sine causa expulit, ut quae aegre conficiuntur, succumque fere generant non bonum. Parantur ea hodie ex diversorum animantium carne, alias minutim incisa, alias integra, ac dulcibus obruta jusculis, additisque una aromatis, & uvis passis, & prunis, & saccharo, & butyro, ejusque generis aliis saporum illecebris. Coquuntur interdum, sub squalido furni calore, crusta pistoria comprehensa, interdum in olla supra operculo curiose obstructa, et sic super prunam infervente. Hoc istud pistorium opus penitus vitiosum atque insalubre est, utique si ejus generis inditur caro, quae difficilis crassique succi est, qualem producit omne animal quadrupes domi natum, omnis grandis fera, quales sunt caprae, cervus, aper; ex volucribus omnis grandis avis, quales sunt cygnus, & anser, & pavo, & grus; omnis bellua marina, ut cete, bos, canis; ex fluviatilibus piscibus, anguilla, salmo, & si qui his non impares sunt. Itaque haec genera ex aequo omnia, cum vix unquam per se sanis profint, tum sic apparatus multo maxime nocent, partim quod sub praefocante squalidoque ignis fervore superexcocta, difficulter intus subiguntur, partim quod dulcedinis causa vorentur majore cum voluptate, adeo ut si

vel ex propriae substantiae natura saepe non
sint mala, luxu tamen operosoque apparatu
fiant non bona. Quid enim non designat
δελεαρ των παντων κακων η̄ η̄δονη̄.

201
Modo dixi sumpta carne, aut elixa aut as-
sa, removeri mensas oportere, nam quae se-
cunda nostris hominibus in usu est, prorsus si
quidem valetudini consultum velis, exploden-
da est; γαστριμαργοί enim isti, postquam omni
genere cupediarum sese jam abunde explessent,
essetque fames omnis exempta, irritare gulam
novis artibus novaque ingluvie studuerunt.
Quoque honestiore titulo suam hic intemperan-
tiam tegerent, secundas mensas excogitarunt,
quibus bellaria ac dulciaria ponerentur. Uti-
que in tanta rerum varietate facile futurum ju-
dicaverunt, ut paulum ex singulis degustando,
gulae facerent satis. Perditissimi, me hercle,
epulones, quorum stomachus quae respuit, ea
ne mens quidem cesset concupiscere. Adeo
ineluctabilis est ventris servitus, ubi animus
semel cupiditate se devinxit mala. Bellaria
hoc seculo aliter aliterque parantur. Quicquid
artis in apothecariis, quicquid in coquis indu-
striae est, totum id hic semel effunditur. Ve-
niunt placentae ex fructibus, pingui caseo,
ovis, similagine, largoque butyro ac saccharo

confectae. Veniunt marcipanes, cremor lactis, amygdalatum venit, & ipsum purum saccharum, idque in alicujus fructus, aut animalis, alteriusve novae rei specimen curiose fufum, eo (opinor) instituto, ut non solum gulam suavio deliniat, sed ipsos etiam oculos pascat. Sed hujus secundae mensae, veteribus incognitae, inventrix inexplebilis nostrorum hominum luxuria est. Sequitur altera, quam CELSUS proponit, ex fructibus constare. Sub hac nunc & luxuria & error est. Nam cum antiquitus mos obtinisset, ut ultimo cibo stomachus adstringente quopiam bolo firmaretur, eaque ratione fercula ad ventriculi fundum pressa subsiderent, tum ipse intus calor uudique inclusus, frictisque ventriculi villis coercitus, exactius, quae assumpta erant, demuteret, sic ut nulla ructus aut inflationis aut fluctuationis relinqueretur occasio, nostri profecto majores id non perperam frustra adstringentis pomi factitarunt, quorum studium hujus seculi homines, ut non sectarentur modo, sed etiam (si Diis placet) superarent, quaesitis toto orbe fructibus adornare secundam mensam coepere, pomis, pyris, cerasis, moris, prunis, uvis, ficibus, palmulis, castaneis, mespilis, juglandibus, & ipsis, qui vix edendo sunt, fungis, multisque id genus [aliis gulae irrita-

mentis, quibus hodie divitum mensae splendent, non tam ad stomachum firmandum (qui enim haec omnia promiscue vorata firment) quam ostentationis aut voluptatis aucupio. Ergo recte CELSUS secundam mensam in imbecillo stomacho coacescere scripsit. Nam acoris (qui non nisi diminutae concoctioni supervenit) hae adferri causae possunt, fructuum istorum intempestivus usus, luxus, varietas, succique eorum cum frigiditas, tum ad concipiendam labem promptitudo. At bono stomacho, utpote pro suo robore noxia superanti, ut haec rerum diversitas interdum non est gravis, sic nunquam non est inutilis. Omnes enim uno ordine fructus praecipuaeque fugaces, seu temporarii (Graeci *ωργαίτες* vocant) ultimo cibo vorati nocent, nisi si qui sint admodum adstringentes, & ii tamen oppido quam parce gustati.

Post multas potiones, quae aliquantum sitim excefferunt, nihil edendum est, post satietatem nihil agendum. Ubi expletus est aliquis, facilius concoquit, si quidquid assumpfit, potionem aquae frididae includit, tum paulisper invigilat, denique bene dormit. Si quis interdiu se implevit, post ci-

bum denique frigori, neque aestui, neque labori se debet committere. Neque enim tam facile haec inani corpore, quam repleto nocent. Si quibus de causis futura inedia est, labor omnis vitandus est.

Qui fercula plusculis potionibus condiunt, ii vix possunt optata amborum concoctione non frustrari. Siquidem innatant cibi sic, ut eos, referente GALENO *) ventriculi corpus, propter interpositum humorem minime contingat. Proin haec regula severis illis Bacchi cultoribus unice observanda est, ne vino graves mensam petant. Nam si sola pocula id damni naturae dent: ut ea vix longo post tempore defungi succorum concoctione possit, quanto magis id eveniat, necesse est, si cibus etiam superingeritur, qui & per se facere negotium ventriculo potest, & jam tum crudus cruda cum potione in venas meare. Quae profecto res insitum calorem adeo vehementer afflictat, ut is in coctionis munere nequaquam emicet, sed devictus poculis epulisque cedat. Neque enim inerudite GALENUS calorem nobis ingenitum cum ignis flamma, & cibos po-

*) Gal. VII. Meth.

culaque cum hujus fomentis comparavit. Idem enim infito calori usu venit, quod igni, quem intermori, ac saepe prorsus interire conspiciamur, cum nimia obruitur lignorum strue, aut certe ea praefocatur materia, quae tum qualitate ipsum enecet, tum flammam aegre concipiat. Porro quod post fatietatem nihil sit agendum, superioribus locis demonstratum est, ubi concoctionem quiete gaudere, ac motu turbari proposuimus. Quo magis falluntur, qui vel pransi, vel cœnati (quoniam id temporis vires magis constant) cursibus, saltibus, venationi, luctae, pugilatui, aut id genus aliis corporis studiis vacant, cum hinc concoctio sumpti recens alimenti turbetur, initiaque gravissimis valetudinibus praebeantur. Neque enim his patrocinator, quod ea res non protinus noxas inferat. Nam tandem ubi causae mali magnitudine crevere, eo gravius laedit, quo diutius sua semina intus occuluit. Quemadmodum GALENUS narrat, iis, qui intempestive exercentur, causas indies, seu quaedam seminaria gravium morborum accrescere, tandemque magna valetudinis jactura in perniciosos effectus erumpere. Quae posthaec auctor de potu frigidae jungit, ea superius abunde disputavimus, estque hic locus instar omnium unus, qui nostras ibidem rationes facit

non modo similes veri, sed firmissimo solidat
 communique argumento. Hauſta frigida pau-
 liſper, antequam cubetur, invigilandum eſt, ne
 aſcito mox ſomno multa fiat crudi vaporis in
 caput exhalatio, iſtis nimirum epulis circa ſu-
 pernam regionem ventriculi haereſcentibus,
 necdum ad imum ejus fundum demerſis.

Et haec quidem cœnatis obſervanda ſunt.
 Pranſis verò magna cura opus eſt, ne frigori,
 ne aeftui, aut labori ſeſe objectent. Frigus
 namque juſto vehementius undeſquaque in cor-
 pus & tracto ſpiritu, & tranſpiratione cuticu-
 lari tranſmiſſum, ingenito calori impedimento
 eſt, quo minus probe, quod intus eſt, alimen-
 tum conficiat, & in ſalutares venarum ſuccos
 demutet. Scilicet frigidum nulli ex ſe func-
 tioni habetur utile, quare ne concoctionem
 quidem eo unquam adjuvari poſſe certum eſt
 niſi ex accidente, cum aut ſtricto in unum ven-
 triculo, ſi intro vadit, aut denſata undique
 cute, ſi intrinſecus incidit, genuinum calorem
 intus coercitum adauget. Quae duo nec ip-
 ſum tamen ante efficere poteſt, quam ubi mo-
 derate incidit: nam contra, ſi calorem viribus
 ſuperet, jam non ſolum ſuperficiem corporis
 afficere, ſed intro etiam ſeſe abdere, ac pe-
 nitiffima quaeque viſcera ſua qualitate perſtrin-

gere confuevit, idque adeo saepe valide, ut multos etiam frigore fuisse enectos constat. Nam & proceras arbores ita emori cernimus, omnemque exiguum ignem sub dio expositum protinus extinguui. Neque vero mirum videatur occursum, frigidi aëris graviolem semper a cibo esse, quo tempore praecipua caloris, ac spiritus vitalis pars ad praecordia recessit, quorum tum praesidio, seu benignissimo nomine privata extrema neque fat valide vim gelidi elementi frangunt, neque quo minus ea ad vitalia penetret, impediunt. Nimirum ab istiusmodi restrictionis incommodo, ut eos, qui frigida perluuntur, GALENUS immunes redderet, cutem prius omnem, donec ea penitus caleret, multorum manibus perfricari iubebat, id scilicet veritus, quod imparatis ad frigidam accidere solet, scilicet ne cruda ejus substantia, aut certe vis per musculos idoneo calore defitutos trajecta, quam mox ad viscera adspiraret. Quod si aquae facultas ita expedite haud praemunita extrema penetrat, quid non aëris faciat, quae tenuiori vehitur subjecto, eoque non tantum per cuticulares meatus, sed trachaeam quoque arteriam in corpus eunte. Jam vero haud minore studio ipse quoque aestus vitandus a cibo est, tum quia ventriculi robur laxando dissolvit, tum quia insitum ca-

lorem ex imis praecordiis in cutem evocando per halitum dissipat, quibus de causis nil mirum concoctionem prohiberi. Quod vero labor saturis etiam officiat, quia superius abunde declaratum est, supervacuum sit hoc loco repetere.

Magis ad rem pertinet dubitandi causam multis adimere, cur tria haec, frigus, aestus, labor, plus inani corpori, quam repleto noceant. Putaverit aliquis locum hunc *ἀντεχρον* esse, nedum CELSO dignum. Nam quis nescit, inane corpus intus forisque caloris, ac sanguinis inopia fluctuare, ejusque rei causa protinus sub valido frigore gravissime laedi, tum aestu atque labore penitus collabascere, & ad immedicabilem solidorum ariditatem perducitur. Quippe haec ista pericula contemplatus HIPPOCRATES II. acutorum morborum: *Iis, quos fames praeter solitum exhaustit, eodem die et frigore, et aestu, laboreque interdendum esse censuit.* Idem apud AVICENNAM quoque (si qua ejus viri apud doctos auctoritas est) luculentissimis verbis memoriae proditum invenio. Leviori semper periculo plenum corpus exerceri, quam vacuum. Quo magis falluntur, qui ideo laborem, aestumque minus nocere inani putant, quoniam omnis

huic desit contrahendae cruditatis occasio. Talis namque animadversio recta non est. Uti- que temerarium est, gravioribus se malis implicare, ut vitentur leviora, ut in hac ipsa re, ubi plus ponderat dissipari corporis periculum, quam quae propter cruditatis fugam securitas est. Neque ignoro quosdam dicere, ob id futuris inimicum frigus est, quod sub hoc extrema calore privata male afficiantur. Sed ne hoc quidem fat probe etiam animadversum est. Quid enim incommodi, si sola extrema, partes plane ignobiles algeant. Omne periculum in eo vertitur, quod non calentibus externis, interna citius frigescant. Quod si haec mala futuris incumbunt, quid, te quaeso, sperandum de vacuis est, quibus externa internaque omnia caloris sanguinisque penuria juxta laborant. Adeo apparet, frigora, aestus, labores, ut ambobus corporibus nunquam prodesse, ita gravius semper inani, quam pleno nocere. Quid ergo? exorbitasse a vero CELSUM dicimus? minime hercule. Quippe propositis duobus contrariis alterius extremi nomen pro medio ipsorum is author usurpavit. Etenim plenum & inane, ambo sub eodem genere posita extreme a se invicem dissident, quorum medio nullum latini nomen dederunt, ideoque CELSUS pro antiqua illa dicendi brevitate pe-

riphrafi abstinuit, id corpus inane vocans, quod inter hoc & plenum intervenit medium. Scilicet hoc ipsum per aestus, ac labores neque crudis infarcitur, ut satium: neque contabescit, ut inane, ac famelicum, tum nec frigore quoque aequè, ut haec ambo, feritur, deductis nimirum in corpus omne jamdudum succis, nec ipsis interim visceribus vacuis, sed confecto pridem alimento fruentibus. Sed de his satis. Superest nunc famis, atque laboris *συστροφία*, quae cur valetudini molesta sit, ipsa re patet. Utrumlibet enim ex sese corpus exhaurit, ac proin facto congressu, etiam tabe consumit, quod & ante CELSUM hoc aphorismo nos docuit HIPPOCRATES*): *Ubi famis, laborandum non est.*

C A P U T III.

Observationes quaedam, prout res novae accidunt, et prout corporum genera, et sexus, et aetates, et tempora anni sunt.

Atque haec quidem pene perpetua sunt. Quasdam autem observationes desiderant

*) Hipp. lib. 2. Aph. 16.

& novae res, & corporum genera, & sexus, & aetates, & tempora anni. Nam neque ex salubri loco in gravem, neque ex gravi in salubrem transitus satis tutus est. Ex salubri in gravem prima hyeme, ex gravi in eum, qui salubris est, prima aestate transire melius est.

Animadvertis in genere omnibus, quae circa cruditatem, coelum, exercitationes, cibum, potionem, somnum, vigiliam, & id genus alia, cum spectare, tum observare quemque oporteat, post hac CELSUS & de his ipsis paulo subtilius magisque particulatim differet, & nova insuper capita junget, quorum pleraque comprehensis generibus affinia, alia aliena sunt, perquam tamen necessaria ad valetudinem curandam. Quorum simul omnium varios usus author ostendet, prout novae res incident, aut corpora, sexus, aetates, atque tempestates anni ferent. Novae res sunt, quae extrinsecus corpori supra consuetudinem accidunt, quarum summa haberi ratio debet, ne temere admittae valetudinem convellant. Orfus autem CELSUS ab aëre est, ejus esse mutationem periculosam scribens, etiam tum quoque, cum ex gravi transitus fit in salubrem.

Cujus profecto rei causa censenda est innovata consuetudo, quae nunquam non esse molesta naturae solet, quatenus ab infuetis major passio corporibus semper ingeritur, ut contra assueta, quia naturae cognata sunt, haud ita valide nos afficiunt, eoque nomine consuetudo priscis illis philosophis quasi altera quaedam natura putata est. Jam vero si juxta HIPPOCRATEM *) *maximae mutationes corporis maxime morbos pariunt*, quid non mutatus faciet aër, qui perpetuo nobis circumfunditur, corpusque universum indefinenter ad suae qualitatis indolem demutat, de sanis haec intelligas, oportet. Nam contra in male valentibus plerumque, quod consilium negat, necessitas extorquet. Nam si longa aegrotatio aegrum conficit, utique sub qua neque sanitas in propinquo, neque exitium est, saepe ad convalescendum peregrinum caelum non modo non grave, sed & necessarium est. Videtur hoc usus ipse docuisse in morbo comitiali, apoplexia, tabe, hydrope, quartana, & id genus longioribus malis, quorum sanationi fere plus opis solum mutatum, quam medicamenta ferunt. Atque haec teste etiam HIPPOCRATE **) loquor, qui *terram in omnibus morbis*

*) Hipp. lib. 3. Aph. 6.

**) Hipp 6. Epid.

longis mutari oportere in epidemiis docuit. Ergo ita sentiendum est. Mutatam subito cum aliarum rerum, tum aëris consuetudinem, fanis semper difficilem, aegris, ubi malum postulat, utilem, sine necessitate perniciosam esse. Quod si ipsis jam valentibus aliqua necessitate coelum mutandum est, satius fuerit ab aëre frigido humidoque ad contrarium prima hyeme, & vicissim ab hoc ad illum prima aestate transire. Sic enim omnis intemperiei excessus optime cavebitur.

Caeterum diu multumque super hoc loco meditatus, nondum conjectura assequor, quidnam CELSUS sub gravis loci appellatione intelligat. Si pestiferum vult, ut ipse hujus libri capite partim secundo, ubi de crudo ructu agit, partim omnium postremo usurpavit, tolerabilis utcunque videatur sententia. Nam ad hunc locum commigrare (si ita res postulat) prima hyeme praestat, eundemque rursus prima aestate protinus relinquere. Nimirum calores maximum ad excitandam pestilentiam momentum habent. Certe ita JULIUS CAESAR in *Comment. de bello civili*, gravis loci appellatione usus est. Videturque haec ista locorum apud CELSUM distinctio ab ipso etiam CICERONE observata, qui sic *Lib. 1. de fa-*

to loquitur: *Inter locorum naturas quantum intersit, videmus alios esse salubres, alios pestilentes.* Atqui exoritur hinc nova statim difficultas de transitu gravis loci in salubrem, quem **CELSUS** periculofum esse decernit, quod profecto extra omnem fidem est, si quidem gravem reputes, qui pesti sit oportunus. Nam hunc vitare ut nunquam periculofum, ita perpetuo necessarium est, eo quod in hac lue (utique cum totius ambientis vitium sequitur) nullum neque optatius, neque expeditius remedium ipsa sit fuga. Quin etiam ipse sibi repugnare **CELSUS** videretur, qui sic alias loquitur. Pessimum ergo coelum est, quod aegrum fecit, adeo ut in id quoque genus, quod natura pejus est, in hoc statu salubris mutatio sit. Forte obscuritatem exueto oratio, si locum & salubrem & gravem aestimemus, elementarium aëris qualitatum, non totius substantiae respectu, sic ut is salubris habeatur, qui siccus imprimis est, in calore frigoreque attemperatus: tum gravis sit, qui immodice calet, & in altera primarum qualitatum oppositione, plus justo humectus est. Ac sic quidem hactenus tutior foret ex uno loco ad alium ea transeundi ratio, quam **CELSUS** proponit, nisi iterum hic sermo claudicaret, si quando gravem esse locum contingat

ratione frigidi humidique excessus, quem locum prima hyeme ingredi periculosum est, ex hoc, quod comprehensi climatis aër cum hyeme consimilis, in qualitatibus sit exuperantiae. Quid veri in hac re sit, haud facile divinatum est, proin nodum hunc si non explicasse, saltem ostendisse nobis fat erit. Tametsi id his difficultatibus supersit effugium: si periculum, mutatae repente sedis per se intelligas, non loci, in quem transitur, respectu, neque comparatis inter se noxis, quae ab aerae vitio & ejus infueto subitoque occurso oriuntur, sic ut qui ex gravi loco in salubrem transit, propter infuetudinem laedatur, etsi hunc forte graviora pericula maneant sub eodem coelo moratum.

Neque vero ex multa fame nimia satietas, neque ex nimia satietate fames idonea est. Periclitaturque & qui semel & qui bis die cibum incontinenter contra consuetudinem assumit. Item neque ex nimio labore subitum otium, neque ex nimio otio subitus labor sine gravi noxa est, Ergo cum quis mutare aliquid volet, paulatim debet assuescere.

Sanus aegroto positus aliis id interest, quod illi virium, si quod est, magis paulatim, huic confertim dematur. Etenim qui morbo jam opprimitur, is moram in mutando vitio recusat: at quibus etiamnum sanitas morbusque in ambiguo sunt, eorum vitium tempus ut facit, sic etiam solvit. Quod fieri oportere sciendum est, ad excludendam novae infolitaque rei molestiam. Ea vero molestia in aegrotantibus non tanti putatur, quanti morbi depellendi necessitas, quae magnitudine suppetat eam, quae sub lenta mutatione est, securitatem. Ergo sanis omnis consuetudinis subita mutatio contraria est, idque non solum, ut GALENUS *) author est, quum praeter naturam corpora afficiuntur, sed in ipso quoque ad naturalem statum reditu, quemadmodum in iis luculenter apparet, quibus ante vehementer refrigeratis, ac mox ad flammam properantibus, digiti manus, praecipuaeque circa unguium radices, graviter dolent. Hanc naturae molestiam non tantum qualitatum activarum repentinus occurfus, sed aliarum quoque rerum infrequens usus adfert. Nam ut a victu ordiar, ex longo piscium esu ad carnes, & a vini potu ad aquam aut cerevisiam, diffi-

*) Gal. 12. Meth.

cilis est insolitus transitus. Itemque ex laborioso vitae genere ad otium venire, aut contra ab inertia ad negotia cito reverti, naturae grave est. Quod si istarum rerum, quae in loco usurpatae non efficiunt, subita mutatio nocens est, quanto futura nocentior aliarum, quae nunquam valetudini profunt, nimiam dico satietatem atque inedia, ex quibus haec necessario alimento corpus privat, illa crudo infarcit. Quanti vero haec incommoda sint, eorum exemplo discitur, qui plenum victus genus aliqua calamitate parco commutarunt, ut qui in castris aut obsessa urbe omnibus ante defessi malis, ac diutina fracti inedia, hincque protinus ad summam affluentiam rerum omnium reducti, difficillimis interdum morbis consumuntur. Jam quoque non solum peccatur, ubi juxta inedia protinus satietas est, sed ubi rectus etiam ordo in sumendo cibo negligitur. Sunt enim statim quidam ordinatimque naturae motus circa proprias actiones, sic ut unum quodque concoctionis organum semel de die cibo refici suetum, tantum ex hoc sibi in usum nutritionis reservet, ac suos intra sinus seu pretiosum quoddam *κειμήλιον* recondat, quantum abunde est ad proximi solitumque cibus ventura tempora. Videlicet ita longus usus unico pastui ventriculum assuefecit, ut si

saepius hunc dapibus infarcias, vehementer in concoctionis munere sis offensurus, quatenus *solitus non est* (ut inquit HIPPOCRATES *) *bis tumescere, aut bis cibos coquere.* Rursus quicumque prandere soliti, prandio se praeter morem abstinent, naturae vires infirmant, ac corpus plus justo biliosum reddunt, quo fit, ut authore HIPPOCRATE **), protinus male habeant, ac pigri ad quodvis opus fiant, quin & urinae subinde his virides calidaeque reddantur, cumulata intus per inediam bile, alvi-que durentur siccato, & anadoseos vi & caloribus ὀλίγον, πικροχολοις vero πάντω os amarescat, cardialgiae accidant, oculi excaventur, tempora palpitent, extimaque corporis frigescant. Atque his urgentibus propter omissum prandium symptomatis, si coena succedet, author HIPPOCRATES est, ne tum quidem mala leniri consuesse, sed acidum ructari, praecordia gravitate, ventrem liquida dejectione exerceri.

Terruit CELSUM vescendi modus ac vicissitudo repente mutata. At nos non solum ista movere, sed & cibi mutatum genus debent. Nam permagni interest, quo quisque

*) Hipp. 2. de victu acut.

***) Hipp. 2. de victu acut.

cibo sit usus, & ad quod genus transeat. Nimirum, quibus eduliis longo jam olim tempore corpus alitum est, ea repente non absque periculo relinquuntur. Adhaec tutius semper a pravis ad meliora transitur, quae tamen novatio adeo esse praeceptum potest, ut praestiterit solita mala retinuisse. Ex hoc enim incidit, ut qui pauperculi oleribus, leguminibus, radiculis & id genus pravae notae alimentis suam in dies inopiam levant, nihil propter assuetudinem offendantur, idemque rursus ad splendidi viri mensam bona semel fortuna admissi, domesticum olus somnient, insolitosque rerum bonarum usus gravate ferant. Atque hinc sciri potest, hoc istud mutatae in victu consuetudinis praeceptum latissime patere, neque in dictis tantummodo generibus locum sibi vendicare, verum etiam in iis omnibus, quae corpori quoquomodo accidunt, ut sunt somnus, vigilia, repletio, inanitio, & quae nominatim author posuit, motus & quies. Nempe corpora laboribus assueta quies repente excipiens multa cruditate, aut plethora, onerat. Rursus si exantlare gravissima opera protinus coeperint, qui otio prius diffluxere, fieri plane nequit, ut de vasorum vel obstructione, vel disruptione non periclitentur. Ergo quo omnis noxa in commutato rerum comprehensarum

usu caveretur *), praeceptum quoddam, instar conclusionis ex commemoratis generibus collectae, CELSUS proponit, paulatim dicens assuescere quemque debere, cum mutare aliquid volet. Id vero, doctore HIPPOCRATE, didicit, qui in *EPIDEMIIS* sic loquitur: *Contraria sensim adhibere oportet, atque interquiescere.* Tum II. acutorum, idem evidenter testatum reliquit, ubi praeter solitum impransos ita reficit: *Vitato inquit frigore, calore, labore, parcius solito coeant, cibusque sit humentior, potus ne sit aquosus, neque minor, quam ingestorum ratio postulat. Postridie parce prandeant, ut accessione paulatim crescente ad consuetudinem redeant.* Eandem mutandae consuetudinis legem GALENUS **) quoque in obeundis laboribus secutus videtur: *a levissimis jubens motionibus semper auspicandum esse; sensimque eas adaugendas, dein diem unum et item alterum interponendum, et in otio versandum.* Illud fateri jure possumus, nihil penitus in proposito re aut CELSUM aut GALENUM reperisse ***), quod non ante a vetustissimo auctore HIPPOCRATE hoc Aphorismo com-

*) Hipp. lib. IV. Epid.

**) Gal. Comm. in lib. 6. Epid.

***) Hipp. lib. 2. Aph. 51.

prehenfum fit: *Semel, multum et repente vel vacuare, vel replere, vel calefacere vel refrigerare, aut alio quovis modo corpus movere, periculofum est. Omne enim nimium naturae inimicum est: paulatim vero quod fit, id tutum est, cum alias, tum maxime, ubi ab uno ad aliud facienda mutatio est.*

Omnem etiam laborem facilius vel puer vel senex, quam infuetus homo sustinet. Atque ideo quoque nimis otiosa vita utilis non est, quia potest incidere laboris necessitas.

Multum cum omnibus in rebus, tum in ferendo labore consuetudo potest. Ejus rei argumentum longe efficacissimum est, quod cum pueri ac senes propriae naturae ratione ad omnes voluntarias actiones sint ineptiores, adolescentes autem multo aptissimi, hos tamen insoliti labores frangant, quos illi, modo huc assuerint, fusque deque ferunt. Nimirum ita sane fit, ut otiosis articuli musculique pigrescant, atque (ut sic loquar) enerventur, laboriosis vero diutina exercitatione mutuoque attritu durentur. Ac proin *consueta motio* (au-

thore etiam GALENO *) *non solum minime lassat, sed delectat quoque*, ut contra, si insolens est, protinus tum displicet, tum fatigat. Denique quid quaeso consuetudo non potest, quae non ad corporis modo curationem, verum etiam ad fingendos animos ipsius instar naturae est. Quare hujus rei sedula observatio nescio quid salubris doctrinae ad vitam componendam adferat, scilicet ut quisque statim a teneris annis, postergatis fortunae ludibriis, animum adjungat, quae duo ut & beare suum professorem, & decorare certo possunt, ita longiore usu ἐξῆν parere, & in ipsam transire naturam solent. Ut perquam sapienter FABIVS dixerit: *consultum esse ab initio statim optimis assuescere.*

Si quando tamen insuetus aliquis laboravit, aut multo plus quam solet, etiam is, qui assuevit huic jejunio, dormiendum est, multo magis si etiam os amarum est, vel oculi caligant, aut venter perturbatur. Tum enim non dormiendum tantummodo jejuno est, sed etiam in posterum diem permanendum, nisi cito id quies sustulit. Quod si factum est, surgere oportet, & lente pau-

*) Galen. v. sanit.

lulum ambulare. At si somni necessitas non fuit, quia modice magis aliquis laboravit, tamen ingredi aliquid eodem modo debet.

Symptoma quod succedere laboribus solet, aut immodicis aut inusitatis lassitudo est (*κοπόν* Graeci nominant) calefactis scilicet supra justum articulis & musculis, sicque nimium tumficatis, tum excremento intra haec attracto praepeditis. Huic affectui siquid aliud, somnus opitulatur, non solum, quia fessa labore membra quiete recreat, verum etiam quia arefacta humectat, rigidula emollit, impedita excrementis liberat. Ac primum ne illud quidem ab HIPPOCRATE *) dictum ratione caret. *Ubi corpus laborare coeperit, quiete lassitudinem protinus levare.* Quod si id quies facit, quanto magis necesse est somnus faciat, qui sicuti cum illa *ἀναλογος* est, ita ad isthaec omnia longe est efficacior. Is namque in hunc usum nobis à natura tributus est, ut spiritus animales jugi a cerebro defluxu circa motionis voluntariae munus insumpti reficerentur. Id namque ex eo constat, quod post gravia exercitia, proclivitate quadam naturae, ultra cum ad somnum feramur, tum altius dormiamus, sic

*) Hipp. Lib. 3. Aph. 48.

ut praesentissimum contra pervigilia remedium in unico saepe labore positum sit, quemadmodum HORATIUS hoc metro innuere visus est: *Trans Tyberim nanto, somno quibus est opus alto.* Atque haec a quiete fessis artibus commoditas accedit. Neque hac levior censerit debet, quae somni beneficio integritas concoctionis est. Dormientibus enim calor spiritusque vitalis inaugefcit, atque intus circa munus concoctionis distinetur, quo fit, ut omnia naturae effluvia sistantur, meliusque subinde alteretur, quicquid in ventre ac primoribus venis crudi inest alimenti; quas sane causas nil mirum, si totius humectatio sequatur. Jam siquid motivis organis liquamenti aut crassioris humoris infedit, id quoque per haec tempora tenuatur, subigitur, aequatur, & ad exhalandum fit inidoneum, qui fructus (ut patet) omnis ab exaucto per somnum calore procedit. Ipse calor viribus jam tum omnibus expeditus, libere agit, seseque agendo confirmat augetque, ad nulla amplius motionis organa distractus. Videlicet ut multa actione facultates voluntariae minuuntur, ita naturales contra invalescunt. Rursus ut hae dormientibus validius, & vigilantibus segnius agunt, ita illae e diverso per somnum magis feriantur, & vigilibus in assidua sunt functione. Porro dormiendum hic jejuno po-

tius quam faturus est, idque ne natura ad concipiendum ventriculi alimentum distracta tardius resolvat, quod articulis musculisque lassitudinis affectum intulit. Neque vero haec ipsa natura (quum in fatigatis supra proprias vires sit afflicta) satis commode utrique vacabit officio, & concoquendo exceptum ventriculo alimentum, & aequando discutiendoque id excrementi, quod per vehementes labores ad organa motionis tractum, ibidem impegit. Quandoquidem insitus nobis calor (quem naturae etiam nomine dignamur) admissis in ventrem epulis paulo minus omnis ad ima penetralia corporis recedens, extrema deferit, suoque afflatu, seu numine aliquo tutelari, privat. In quibus tamen extremis cum lassitudinis affectus potissimum figatur, fieri aegre potest, ut a cibo dormientibus quidquam fatigatio levetur. Ut somnus labore fessis nunquam est inutilis, ita tum demum salutaris habetur, ubi corpus natura calidum ac siccum est, ut quod tanto liberaliori eget humectatione, quanto gravius semper labore offenditur. *Omnes enim ex siccitate laborantibus somnus* (auctore GALENO *) *maxime idoneus est, sicut vigilia contra apprime inimica.* Qua re

*) Gal. 7. Meth.

adductus CELSUS existimavit majore fiducia dormire a labore jejunum posse, si os amarum est, si oculi caligant, aut venter perturbatur. Indicant enim signa haec cumulatam in vasis bilem, inque ventriculi spatium effusam prae exercitationis nimietate fuisse, quae nimietas non aegre calidis siccisque corporibus accidere solet. Ergo os amarescit, quoniam hujusmodi sapor bili flavae proprius est, eumque ventriculus gulae totique intus ori communis tunicae merito impartit. Oculi autem caligant, cum qui ex bile resolvitur halitus, e stomacho ad caput subvolat, ac falsis imaginibus visivos spiritus intus ludit. At alvus fusa redditur, depresso ad intestina amaro excremento, quorum vim excretricem sua istud acrimonia provocat ac veluti stimulo suppungit.

Sane his apparentibus notis, neque lassitudinis affectu sub prima quiete discusso, non tantummodo jejunis (ait CELSUS) dormiendum est, sed in posterum quoque diem permanendum, ut omni ratione ac via corporis humectatio quaeratur. Quamquam tamen severitatem illam veterum in jejunando non usquequaque semper hic oporteat sectari, quin potius modum aliquem propositis rebus adhibere, ne corpus immodicis siccatum laboribus, & nu-

trimenti subinde fluctuans, inopia, non solum nullum ex somno humectationis fructum percipiat, sed contra potius inde penitus tabescat. Cujus rei gravissimum authorem habemus HIPPOCRATEM *), qui sic ait: *Somni jejunum attenuant, humidum, quod inest, vacuantes.* Siquidem hac sola ratione corpus humectari ex somno contingit, quod hoc durante ea, quae parum cocta ventri vasisque superfunt, calor validius edomet, & in utiles succos partiumque nutrimenta feliciter convertat. Id, quod minime futurum est corporibus supra modum inanibus: nam tum, deficiente venas sanguine, illa per somnum excoqui immodiceque arefcere solent, ali humectarive non item. Quippe non alia via eos saepe in habitus symmetricam vindicamus, qui nimia carnis atque adipis mole onerantur, quam somno a laboribus matutinis, & ante cibum imperato. Ergo si extenuationis periculum ex hoc genere somni defessis corporibus impendet, satius utique fuerit pauculum quid, atque humidum prius coenare, ac tum demum somno se dare. Talis enim coena, quia concoquitur facilius, haud aequae diu naturae operam distinet. Quia ve-

*) Hipp. Lib. 2. de diaet.

ro plenius humectat, melius quoque ariditatis per motiones contractae vitium corrigit. Porro soluta per quietem lassitudine, surgere convenit, ac lente paululum ambulare, ut placida hac membrorum dimotione impacta ipsis superflua, somnique jam ope tenuata, commodius exhalent.

Communia deinde omnibus sunt post fatigationem cibum sumpturis, ubi paulum ambulaverunt, si balneum non est, calido loco vel in sole vel ad ignem ungi, atque sudare; si est, ante omnia in tepidario residere; deinde ubi paulum conquierunt, intrare & descendere in solium, tum multo oleo ungi, leniterque perfricari, iterum in solium descendere; posthaec os aqua calida fovere, deinde frigida. Balneum his fervens idoneum non est. Ergo si nimium alicui fatigato pene febris est, huic abunde est loco tepido demittere se inguinibus tenus in aquam calidam, cui paulum olei adjectum sit, deinde totum quidem corpus, maxime tamen eas partes, quae in aqua fuerunt, leniter perfricare ex oleo,

cui vinum & paulum contriti salis sit ad-
jectum.

Omnibus exercitatione defessis humecta-
tio salubris est. Ipsa (si sub otio ac somno are-
factionis vitium non conquievit) unctionibus
quoque ac temperatis balneis recte quaeritur.
Magnas haec ista vires ad levandas solandasque
lassitudines fortita sunt. Nam solidis plus ju-
sto siccatis salutarem madorem immittunt, du-
rata emolliunt, tensa relaxant, ideoque ab
omni dolore vindicant, tum quaecunque sub-
cutaneis in locis coierunt tenuia ac fuliginosa
excrementa, foras per cutem exigunt, & pro-
clivitatem somni, qui paulo post cibum vehe-
menter sit profuturus, inducunt. In quibus
pene omnibus plus unctione valere balneas in-
telligendum est. Caeterum novisse oportet,
haec ista praesidia non nisi cibum sumpturis
conducere, saturis vero cruditatis atque ob-
structionis causam praebere. Qua namque ra-
tione succos permovent, habitumque corpo-
ris accendunt, eadem profecto & crudum ali-
mentum huc e primis venis ante tempus per-
trahunt. Quod incommodum ut effugeret HIP-
POCRATES, eos *lavatione prohibebat, qui
non longo ante tempore vel ptisanae cremo-
rem sorpserant, vel quidpiam biberant.* Sed

agedum, fatigatorum hominum curationem prosequamur. Ac primum quidem deficiente balneo, non male conveniunt unctio atque sudor: illa ad rigescentium tenfarumque partium emollitionem, hic ad fumosi excrementi vacationem accommodatior. Fieri vero ista oportet in sole, aut ad ignem, ut horum ope illorum vis atque energia juvetur. Sudores tamen non expedit esse effusissimos, ne quid secum benigni humoris exigant, quod cum nulli utile, tum perniciosum quoque defatigato est. Verum si balneae suppetunt, non alienum erit & his etiam lassatos uti, ut quae ad propositos scopos per omnia fere sint unctioe potentiores. Sed harum vires atque partes exponere operae pretium est, ut constet, quae in singulis generibus animadversio necessaria fatigato sit.

Ergo balnei partes, si quis curiosius aestimet, quinque apud antiquos scriptores reperire est. Ex his tepidarium prima erat, aedificium concameratum, omnique ex parte, ne qua pateret, occlusum, ac siccis ab igne reditis vaporibus calens. In hoc balneis usurantisper versabantur, donec habitus calore ascito rarefceret, idque ne imparati in calidum postea solium desilirent. Hoc enim errore hor-

ror movetur, densatis subitanco calore cutis spiraculis, actisque violenter per musculos acribus excrementis. Quae incommoda facile cavebuntur, si ante calentes undas aequalis per totum corpus calor diffundatur, cujus beneficio materiae vacuandae liquefcere, cutis meatus patefieri, aspera laevigari, tenfaque laxari poffint. Sequitur fecunda balnei pars, priori fere per omnia fimilis, nifi impenfius haec ferveret, eoque nomine ἀπό τῆς ὑποκαίειν Graecis ὑποκαυσον, CELSO, *Calidarium*, aliis *Laconicum* appellata eft, eratque fudoribus fufius evocandis dicata. GALENUS decimo Therapeutices, tepidarii ac laconici discrimina confudit, quoniam fola fere caloris intenfione ac remiffione, non re ipfa, diffident. Succedit his tertia pars, calentis ac dulcis aquae lavacrum, alias folium appellatum, eratque vas aut cifterna calidis undis impleta. Ea non uno nomine juvat. Nam partibus, fi ficcatae funt, utilem madorem impartit, fi refrigeratae, afcittio calore mediocritatem temperamenti reddit; ad haec excrementa vacuat, & fomnum accerfit. Proxima lavacro pifcina frigidae quarta balnei pars erat, iis potiffimum corporibus fubveniens, quorum intererat humorem balnei potius quaerere, quam caliditatem. Nam omnem intemperiem abigit a lavacro ante con-

tractam, tum molem corporis densat, ac veluti communit, quo minus externis injuriis fiat opportuna. Mox vero ipsa quoque naturae virtus ab hac densatione cutis invalescit, intro pulsus, calore, sanguine, spiritu, efficacissimis naturae adminiculis. Quae sane causa est, quare eos cernamus, qui sese frigida decenter perluerunt, plus appetere, melius concoquere, ac minus sitire. Restat ultima balnei pars, quae tota movendis sudoribus erat destinata. Sic enim superflua ea melius exhalabant, quae calor primo frigidae appulsu intro fugatus, ac mox ab imo rursus corpore, acceptis intus viribus emergens, secum in habitum vexerat. Eliciebatur sudor partim quartae balnei partis usu, partim multa veste universo corpori circumdata. Et quidem intra haec omnis balnei administratio antiquitus erat, tametsi non idem omnium usus semper erat necessarius, sed suus cuique corporis affectioni proprius, peculiarem in singulis generibus observationem exigens; quemadmodum in ipsis quoque fatigatis fieri solitum est. Igitur his (authore CELSO) non inutile tepidarium est, idque iis de causis, quas proxime proposui. Hic ubi aliquantisper cunctatum est, intrare & descendere in solium convenit, quod sit aut temperatum, aut mediocriter calens. Nam hoc & excrementa commo-

de vacuat, & partes labore siccatas humectat, & incensas grato refrigerio demulcet, idque aquae in habitum ingressae merito, quae deposito ibidem adventitio calore, quam mox ad naturam, quae refrigerans est, redit. Fervens vero balneum fatigatis adversissimum est. Scilicet hos in balneas deducimus non tam vacationis alicujus gratia, quam ut emolliatur, ac madescat, quicquid in corpore immoderatus exaruit. Proin qui sese ferventibus in balneis elixant, non solum his commoditatibus non fruuntur, sed nova etiam sibi mala consciscunt. Nempe corpus ante laboribus accensum extorretur, totaque undequaque densata cute, nec madescere partes ab humore balnei possunt, nec excrementi, quod intus latet, quidquam emittere. Etenim nihilo segnius aqua fervens, quam frigida adstringit.

Posthaec jam folio egressos hos non sine causa CELSUS ungit: nam hoc modo, solida labore siccata madefiunt, & hiantia cutis spiramenta pinguetudine infarta fidelius retinent, quicquid inter lavandum receptae fuerat in corpus aquae. Tum autem perfricuisse etiam leviter corpus inter unguendum juvat, ut eo altius oleum in carnes demittatur, fructusque humectationis sit uberior. In quem finem vel

secundo balneum repetere **CELSUS** non dubitavit. Peractis his fovendum os aqua primum calida, dein frigida est; illa quidem ad praemuniendas fauces, ne successura mox frigida violentur, hac vero ad caput lavacro rarefactum contra ambientis injurias durandum: ambo ad levandam ariditatis molestiam, quae durante lotionem in ore contracta est, elatis nimirum eo ferventibus ab commoto sanguine vaporibus. Jam si fatigatis caloris siccitatisque vitium improbi labores adeo grande fecerint, & ejus rei causa tantum non febris sit, tum profecto aut folio calido penitus superfedendum est, aut iis id duntaxat partibus admovendum, quae longius ab hepate cordeque absistunt. Quippe metus est, ne si ferventis aquae vis aut substantia praecordia attingat, febrem moveat. Rectius ergo tales, ut **CELSUS** praecipit, loco tepido in calidam aquam inguinibus tenus demittuntur: quoque is humectationis fructus largior sit, non abs re & olei paulum aquae inditur; sic enim humor & magis refrigerat, & diutius in membris inhaerescit. Posthaec corpus inungendum est, lenta pariter adhibita frictione, addendumque oleo salis momentum, ut qua nimia licet calefactionis occasione lassitudinis affectus quam maturrime solvatur.

Confulto autem hic frigidae lavatio, quae quarta balnei pars erat, praeteritur. Tum quod fatigatis adeo naturae vires laborent, ut frigidum non sufferant, tum quod balneo relaxatum corpus, ac succis exinanitum, sed & plurima tenellae carnis, atque adipis portione privatum sit, ut hinc vitae principia crudi frigidique elementi illapsu prompte feriantur. Sunt namque haec ista pericula omnibus iis communia, quorum viscera laboribus, inedia, vigilia, aut tabido aliquo affectu extenuata non fat muniminis retinere adversus irruentis frigidi vires. Quanquam tamen GALENUS *) satis confidenter ipsos etiam hecticos frigida lavarit, praestabilius esse ratus in frigidae intemperiei discrimen eos conjicere, quam in marasmm labi sinere. Quippe si in eum jam res rediit locum, ut ibidem, minima, periturus, qui sic laborat, aeger videatur, nisi temeraria quoque via fuerit adjutus, deficient vero alia, quae salutem spondeant, remedia, fatius esse GALENUS putavit anceps auxilium experiri, quam nullum, multaque in praecipiti periculo recte fieri posse, alias omitenda. Ipse decimo therapeutices in hunc fere sensum loquitur: „Quemadmodum hectica

*) Gal. 10. Meth.

febre consumpti, ubi ad balneum accedunt, nisi in frigidam sint dimissi, nihil juvantur, ita gravissime iterum offenduntur, si frigidae vis aut substantia omnino integra ad viscera peringat. Caeterum GALENI haec medicatio ut non optimum, sic tamen secundum remedi- dii genus adhibet, ipsaque adeo, quoniam ni- hil aliud est, quam praesenti malo aliis malis, sed minoribus, remedia dare, non usquequa- que fatigatis hominibus sectanda est, ut qui- bus haec desunt, aut si sunt, uno (ut alias CEL- SUS ait) die finiuntur. Nares acutae, col- lapsa tempora, oculi concavi, frigidae aures, cutis circa frontem intenta, reliquaque mon- strorum hecticorum species. Ac proin licitum quoque est, cum levioribus tum securioribus auxiliis, contractos ab labore ardores tollere. Jam quoque ut lassatis frigida post solium na- tatio, ita & sudor nocent. Exigitur enim per cutem, quicquid dulcium undarum lavacrum solidis immiserat.

Posthaec omnibus fatigatis aptum est ci- bum sumere, eoque humido uti: aqua vel certe diluta potione esse contentos, maximeque ea, quae moveat urinam. Il- lud quoque nosse oportet, quod ex labo-

re sudanti frigida potio perniciosissima est, atque etiam (cum sudor se remittit) itinere fatigatis inutilis. A balneo quoque venientibus ASCLEPIADES inutilem eam iudicavit. Quod in his verum est, quibus alvus facile, nec tuto resolvitur, quique facile inhorrescunt. Perpetuum in omnibus non est, cum potius naturale sit, potione aestuantem stomachum refrigerari, frigentem calefieri. Quod ita praecipio, ut tamen fatear, ne ex hac quidem causa sudanti adhuc frigidum bibendum esse.

Quibus succi praeter modum accensi attenuatique sunt, maximum iis (inquit GALENUS *) remedium est, humidum nutrimentum; quare id fatigatis quoque commune est, qui quoniam plus aequo dissolvuntur, cito refici postulant. quia vero debilitantur, cibo facilis concoctionis egent. Utrumlibet optime humecto confit alimento, ut quod ad concoctionem sui non tantum, ac si solidum esset, exigit a natura roboris, nec tantum morae ad corporis nutritionem. Quae causa est, cur las-

† *) Gal. 9. Meth.

fatis non modo cibus humidus, sed & diluta potio conducant. Etenim meraca, etsi plus diluta nutrit, labore tamen accensis, quia calet, inimica est. Aqua uti intrepide possunt juvenes boni habitus (*ευσάρκεις* Graeci dicunt) idque eo semper confidentius, quo magis eam potare soliti sunt. Caeteris diluta pocula aptiora sunt, ex aliquo genere vini urinas moventis *διουρητικόν* Graeci nominant. Hoc enim expedite venas permeat, ideoque citius vacuos reficit. Adde, quod minus etiam calefacit, ac putria biliosaque succorum purgamenta per urinas exigit. Porro frigida, ut immodice lassatis perquam raro prodest, sic nunquam non perniosa est iis, qui hanc profluentibus etiamnum sudoribus bibunt. Patefactis enim undique in corpore meatibus, facillime ad viscera transit, quicquid in ventrem crudae potionis ingestum est, sic ut haec eadem ne quicquam nativi caloris roboris edomita fractaque, primo statim impetu principia vitae perennesque illos naturae fontes imperat, omnia violenter sua qualitate percellens. Videtur hoc ipse quoque usus docuisse, quoties hepatis atque lienis hinc violati occasione hydrops, aut nervosorum corporum affectu convulsio, tremor, dyspnoea, & similes morbi gignuntur. Porro itinere defessis etiam tunc

frigida nocet, cum fudor se remisit. Nam his diutina itatio vires attrivit, simileque veri est, multum carnis mollioris, adipis, sanguinis, & ipsius denique genuini caloris periisse, quibus detractis praesidiis ventriculus, hepar, lien, totaque praecordia irruentis frigidi injuriis cedunt. At vero extra periculum sunt, qui balneas egressi, frigidam aquam finitis sudoribus hauriunt, utique si bona sunt corporis habitudine praediti, neque extenuatione affecti, neque senio debilitati, magisque si consuetudo non usquequaque reclamatur. Horum etenim visceribus maximi muniminis, seu tutissimi praesidii loco, ipsa nativi caloris abundantia est, quae sane facit, ut non solum non noceat frigida, sed augendis naturae viribus etiam vehementer inserviat, idque extincto penitus ardore, quem solum visceribus intulerat. Nimirum recreatae hinc solidae particulae, ipseque ante omnes ventriculus, protinus & accuratius alimentum concoquunt, & promptius, si quae putria in iis excrementa coiërunt, excludunt. Porrigere in loco frigidam cum sit expeditissimum artis medicae gnaro, tum imperito difficillimum est, ut in proposita re, ubi tantis aquae dotibus tanta sunt, quae ex opposito respondeant vitia, quando haec, cum non oportet, aut ab iis, quibus inutilis est,

hominibus bibitur. Nam si cruda putrisve materia venas habitumque obsidet, sic, ut homo vel labores aggressus, vel lotus, itemque solis ardoribus objectus illico inhorrescat, temperandum a frigidae potionis est, seu quae obstructions venarum adauget, succosque male coctos crudiores facit. Jam si tumor aliquis praeter naturam (dempto erysipelate) aliquod viscerum exercet, nec tum quoque utilis esse frigida potest, quandoquidem haec, ut HIPPOCRATES *) testatur, *frigida partiumque crassarum est, ob idque et aegre concoquitur, et tarde permeat*, ut nihil mirum sit, si illas loco affecto materias altius implicet, & ad ferendam concoctionem faciat rebelliores, utique si tumore jecur aut lienis premitur, quibus praecipue visceribus, quia exilia vasa obtigere, a frigida negotium fieri, eodem auctore HIPPOCRATE disci potest.

Addam his & tertium genus, quod jure tamen omnium esse primum oportuit, corporis scilicet totius, aut partis alicujus principis imbecillitatem. Etenim quaecumque profutura semel frigida est, naturae nostrae viribus inferior sit necesse est; ex quo adeo fit, ut iti-

*) Hipp. lib. 3. de victu acut.

nere fatigatis, gravi labore fractis, curis, vigilia, atque inedia confectis, diutina aegrotatione jactatis, decrepitis, infantibus, tum (si ad partes spectes) propter imbecillitatem ventriculo ad diarrhaeam, hepatis ad hydropem, lieni ad scirrhum, intestino ad colicos dolores, ac praecordiis ad dyspnoeam propensis, poculum frigidae omnibus ex aequo inimicum sit. Siquidem haec intro semel per os demissa, aut a natura ut superetur, aut ut hanc ipsa protinus superet, necesse est. Ideoque si ventriculo, quem haec primum intrat, tenendi vis adeo sit imbecillis, ut quicquid assumptum est alias imperfectum, alias ne concoqui quidem coeptum, protinus diffluere per alvum sinat, quis dubitet hoc rerum statu frigidum obesse, tum quod partis infirmitatem sua qualitate adaugeat, tum quod nutantes in fluxum materias strictis superioribus ad anum impellat, praecipitetque. Scilicet frigiditatis est, corpora quibus incumbit, pressare, ac velut manu stringere: quomodo & medicamenta frigida supra pectus foris imposita, fluxionem sanguinis per tussim rejecti incitant, compressis nimirum ab horum qualitate pulmonum vasis. Porro ASCLEPIADES *inutilem a balneo frigidam* censuit. Quod, quamvis pleraque ejus viri praecepta secutus est CELSUS, rec-

te tamen damnavit. Neque enim bibitae aquae periculum in ipso balneo, sed in corporis loti ineptitudine vertitur. Nam detractis modo enumeratis incommodis quid praestabilius, aut quid magis naturale est, quam aestuantem stomachum gelida potione refrigerari? Scilicet mutatio omnis fit a contrario atque in contrarium. Et sunt etiam contraria remedia contrariorum. Aequè profecto ut naturale quoque fatebimur, frigentem stomachum calida potione juvari.

Solet etiam prodesse post varium cibum frequentesque dilutas potiones, vomitus, & postero die longa quies, deinde modica exercitatio.

Corruptionis ciborum tres sunt primae, seu generales differentiae. Una fit per proprios ventriculi morbos. Altera a vitiosis, qui intus coiërunt, humoribus. Tertia alimenti sequitur vitium, quoties in ejus quantitate, qualitate, aut vescendi modo delinquitur. Exuperantem quantitatem ventriculi calor superando non est, quare protinus ab ea is superatur, aequè profecto ut ab immoderata lignorum copia flamma ignis tum obruitur, tum etiam

etiam tota deletur. Inepta qualitas in excedente potissimum caliditate aut frigiditate, tum univrsae substantiae pravitate spectatur, quae omnia ingenitum nobis calorem impediunt, quo minus cibos possit suo robore edomare, & in utiles succos alterando convertere. At in modo vescendi peccatur, si aut praeposito ordine, aut nimia varietate alimenta assumuntur. Quippe non potest concoctio non vitari, quum facilia concoctu duris, pingua macris, ac laxantia adstringentibus postponuntur. Tum quae nimium varia sunt fercula, contrariisque inter se qualitatibus pugnantia, ventriculus neque arcte suis tunicis apprehendit, neque pari concoctionis proportionem alterat. Alia enim aliis citius, alia tardius conficiuntur, quae promiscue omnia inter se coeuntia mistaque, facile computrescunt, atque omnem concoctionis legem subvertunt. Ergo tribus hisce ventriculi noxis maximum promptissimumque remedium vomitus est, quo id, quod naturae incommodat, extra corpus elicitur. Nam si quod intus alimentum est, copia sui male habet, aut alioqui computruit, nullo certe modo melius succurritur. Nunquam enim prava male pelluntur, saepe bona haud tuto retinentur, quoniam periclitari haec non expedit, ne nimio luxu ventriculi vim laceffant,

L

neve caloris nostri destituta afflatu, vitientur, ac sic tandem venarum excepta osculis, benignos etiam succos contaminent. Quae de cibo diximus, eadem de simili quoque potione intelligenda sunt, ut recte ÆGINETAM*) scrip-
sisse arbitrer, maturum vomitum saluberrimum esse temulentiae remedium. Porro quoniam propositis ventriculi affectibus cruditas necessario copulatur, conandum modis omnibus erit, ut concoctio fiat, ad cuius facultatem multis abunde est longiuscula quies, & post hanc modica corporis exercitatio. Illa calorem intus coërcitum in concoctionis officio tenet, haec eundem excitat absque crudorum tum liquatione, tum in habitum raptu.

Si assidua fatigatio urget, invicem modo aqua, modo vinum bibendum est, raroque balneo utendum. Levatque lassitudinem etiam laboris mutatio, eumque, quem novum genus ejusdem laboris praefit, id, quod in consuetudine est, reficit. Fatigato quotidianum cubile tutissimum est, insolitum contra lassat. Quod enim

*) Ægineta lib. 1.

contra consuetudinem est, nocet, seu molle, seu durum est.

Fatigatio (quae quidem exercitiis supervenit, quaeque excedens quaedam ac pertinacior esse lassitudo creditur) nihil aliud est, quam tristis quidam sensus corporis immodice exerciti, accensis nimirum articulis atque musculis, idque nervaceis horum fibris alias vehementer tensis atque siccatis, alias excremento sibi circumfuso praepeditis, adeo ut motis particulis molestus inde sensus alicujus seu ulcerationis, tensionis, vel contusionis, quasi phlegmones, oriatur. Tensio nudam fere siccitatem labore contractam, ulceratio excrementi membrum infixi qualitatem, contusio copiam magis sequuntur. Jam id excrementi, quod influxit, si tenue est, facile discutitur tum balneis, tum sudationibus. Si vero crudum, crassum, plurimumque est, resolvere id non usque adeo proclive est, ex quo lassitudo in vetustatem incidit, ideoque assidua CELSO nominatur, altius scilicet particulis immerso excremento. Urgetque hoc pathema ea potissimum corpora, quibus aut plethora, aut succorum cruditas subest. Quemadmodum recte dixit HIPPOCRATES *); *nequaquam a cibi parsimonia*

*) Hipp. 6. epid.

lassitudinem fieri. Itaque propositum sympto-
 ma, quia cruditatis soboles est, frustra aut
 balneo, aut alio quopiam calefaciente remedio
 oppugnabitur, ut quod particulas priore labo-
 re accensas gravius etiam inflamat & mate-
 rias ipsis impactas (quia concoctione nondum
 tenuatae, aequatae atque subactae sunt) mi-
 nime elicit, sed permovet duntaxat, quo fit
 ut hinc lassitudinis sensus quam maxime adau-
 geatur. Jam si per haec tempora intus quo-
 que latet (ut fere fit) succorum vel crudorum
 vel pūtrium illuyies, quis hic non sibi tempe-
 ret a balneis, quarum vi noxia haec ad aegro-
 tas particulas trahuntur? Cavit religiose GA-
 LENUS*), ne eum pariter & lassitudo urget,
 & venae crudis succis refertae sunt, ea quae
 extra sunt, intro revocemus: neque quae intus
 sunt, foras.

Ergo omnis diutinae lassitudinis remedium
 unica in concoctione positum est, quam con-
 coctionem non parum ipsum adjuvat vinum,
 utpote ingenito nobis calori similitudine sub-
 stantiae accommodatissimum, ut ne dicam in-
 terim perquam idoneum, id esse ad corrigen-
 dam siccitatem, quae solidis particulis propter

*) Galen. 4. de sanit.

superfluos labores contracta est. Sed ut nihil pene omni ex parte beatum est, ita & hic quoque inter tot vini commoditates, unicum hoc intervenit incommodum, quod (quia diureticum id esse convenit) crudos putresve humores ad motionis organa secum abducat, ac sic fatigationis propositae symptomata exasperet. Videlicet hac permoti causa iis quoque vinum omne, ac praecipue diureticum, circumscribimus, quos jam nunc podagrae, chiragrae, coxendices, aut id genus alterius arthritidis dolores tenent. Nihilo vino melior aqua sic fatigato corpori est, utpote cruda plane existens, atque omni naturae functioni ex sese inutilis, cumque diu circa praecordia cunctetur, neque in corpus eat, reliquum est, ut eos, qui hic abduntur male cocti humores, adaucta cruditate reddat peiores. Quod si vel celerrime ad articulos penetraret, ne ob id tamen eorum sanare affectum quiverit, quin potius debuerit in venis haerere, omniaque cruda sua qualitate pertinaciter adstringere. Quid igitur, inquires, factu opus est? dicam: si vicissim modo aquam, modo vinum potui des, sic, ut hujus vim atque impetum illa tardet, simulque vinum, inter tot venarum ductus, seu in via moratum, succos nequaquam concitet, sed potius iis, quibus distinetur locis, opem ad concoquen-

dum impartiat, plane rem feceris, ac voti fueris compos. Neque vero perinde erit, si in vicem alternationis hujus aquam vino mistam praebeas. Ista enim amborum per tota crasis efficit, ut quae prius simplices essent a vino meraco noxae, per lymphati usum protinus gementur. Hoc enim non solum crudos humores secum ad extima vehit, verum etiam materias organis impactas motivis validiore frigore, quam aqua pura adstringit. Nam haec etsi plus vino diluto refrigerat, lente tamen fertur in corpus, totaque prius devicta nostro calori est, quam eo pertingat: at contra vini substantiae toti immista, tanquam acceptis ab hoc alis, frigida crudaque ocysime ad extrema penetrat. Atque hinc vel ipsius vulgi experimento deprehensum est, sitim, quae corporis totius ariditatem sequitur, citius vino lymphato, quam sincero fonte levari. Et multis vehementi ardore afflictis hydropicis initium attulit aqua vino mista, quos ea alias sola non laesit. Sed missis his, ad sequentia fatigationis auxilia veniamus.

Hanc itaque **CELSUS** levari mutatione laboris scribit, id quod minime obscurum est, functiones intuenti muscutorum, qui cuique motus differentiae privatim inserviunt. Siqui.

dem alii membrum extendunt, alii reflectunt, alii oblique intorquent, alii aliis motionibus cient. Itaque plane fit, ut qui diu fuere exerciti, tum optime ferientur, cum contrarii laborant. Proin lassitudinis haud sola perpetuo quies, sed & nova interdum lassitudo medela est. Quemadmodum qui ab extentis diu brachiis dolent, ab iisdem contractis protinus solamen remediumque mali sentiunt. Aequè profecto, ut POLYBUS *) eos quoque iussit, qui ex cursu laborant, luctari, et vicissim currere, quos lucta fatigavit. Id autem lassationis lenimen efficacius erit, si prior labor insolens, secundus in consuetudine fuit. Consuetam enim sicuti naturae sunt magis affinia, ita melius citiusque nos reficiunt. Ac proin fatigato ne molle quidem cubile idoneum est, si duro infuevit.

Propria quaedam ad eum pertinent, qui ambulando fatigatur. Hunc reficit in ipso quoque itinere frequens frictio, post iter primum sedile, deinde unctio; tum calida aqua in balneo magis superiores partes, quam inferiores foveat. Si quis ve-

*) Polyb. de victu Idiotarum.

ro exustus in sole est, huic in balneum protinus eundum est, perfundendumque oleo corpus & caput: deinde in solium bene calidum descendendum est, tum multa aqua per caput infundenda, prius calida, deinde frigida. At ei, qui perfrixit, opus est balneo primum involuto sedere, donec insudet, tum ungi, deinde lavari: cibum modicum, deinde potiones meracas assumere.

Qui iter facit, huic inferiora corporis magis laborant, ut quae onus totius corporeae molis sustentant, ac porro transferunt. Itaque si hic lassitudo incidit, curandum est, ut quae partes nimia itatione inaruerunt, emollescant, itemque resolvatur, si quid acrioris excrementi iis inhaerescit. Utrumque hoc crebra frictione confiet, in ipso etiam, si opus est, itinere administrata. Tametsi hoc auxilio efficaciora sint unctio atque balneum, quae non nisi post absolutum iter commode tentantur. Ante tamen arrepto sedili conquiescendum est, ut defessa membra utcunque hac feriatiōe recreentur, utque contractus in his per itinera ardor placetur sopiaturque ante calentis tum

balnei, tum unctionis usum. Caeterum haec ista lavatio quantum siccatis articulis humectatione confert, tantum rursus laxatione incommodat, quae laxatio ipsorum firmitudini contraria est. Ergo (ut CELSUS monet) satius erit superiora corporis magis, quam inferiora calidis undis fovere. Facientibus iter, ut non pauca alias observanda, ita duo haec imprimis vitanda sunt, ardor solis, & immodicum frigus. Sol namque si justo vehementius aestuat, sudore corpus exhaurit, crescenteque ejus virtute, tandem etiam densat, & instar corii squalens aridumque reddit. Simul vero & acrium pariter excrementorum transpiratus impeditur, ex quo febris aut diariae aut putridae metus est. His abolendis incommodis nihil aequè conducibile, ut temperatum balneum est: humectat arescentes particulas, & adstrictas relaxat. Quo vero idem balneum humectando diutius sufficiat, perfusio quoque olei per totum corpus adhibetur, quae, supra propriae humectationis beneficium, id insuper commodi adfert, quod obstructis pinguetudine cutis spiraculis, carnes fidelius retineant, quicquid a balneo benigni madoris acceperunt. Omnis per itinera sole exustorum noxa periculumque in immodica corporis siccitate vertitur, cujus profligatio tanti habetur,

ut non dubitarit **CELSUS** prioris balnei, atque unctionis madorem vel calentissimis balneis intra habitum includere, longe fatius esse ratus, qualemcunque ardorem fatigato corpori consciscere, quam remediis parum efficacibus fructum humectationis sinere perire. Et enim propositi corporis resectio in appositione ejus consistit, quod defluxit, quae profecto evenire nequit cute nimio opere laxa. Adstringi igitur denuo haec post temperati balnei atque olei usum, ferventiore solio debebit, cum praesentissimo, tum unico ad hanc rem praesidio. Nam ipsa re patet, adstrictionem omnem longo itinere debilitatis periculosam esse, quae frigidis materiis quaesita est, multoque maxime frigida aqua, quae vehementia suae qualitatis externa internaque corporis omnia facile violat, multo nimirum squalore ac vacuitate imbecilla.

His itaque provisis, capitis quoque habenda ratio est, ut cui radii solares prae caeteris partibus negotium facessunt. Id enim, quia carne utcumque nudatum est, & in alto corpore positum, facile succorum halitus jam sole inflammatum tum admittit, tum attrahit. Ergo studiose lavare id post solium expedit, primum quidem calida, dein frigida aqua.

Illa quidem tum ad humectandum, quod in ipso nimis exaruit: tum ad dissipandum, quod ab imis praecordiis eo sublatum acris vaporis est: ac tertio, ut cerebrum calore quopiam praemuniatur adversus illapsurae mox frigidae impetum: haec autem frigida infunditur partim ad comparandum cerebro robur, compulso scilicet intro calore ejus nativo, partim abolendi ardoris gratia, qui ardor a sole, a lavacro, calidaeque aquae perfusione erat afficitus. Quo etiam instituto *ÆGINETA* *) ad hunc modum fatigatis inter caetera suasit, *ut vultum, manus, et crura gelidis undis irrigarent.* Porro vehemens in itinere frigus corpus longa motionis perseverantia & laxum, & invalidum, ut facile, ita & periculose penetrat. Ideoque hunc protinus qui sic refrixit, moderate calefacere, donec infudet, properandum est; praeterea ungere, cutis meatus frigore adstrictos calentibus undis patefacere, ac sic tandem modico quidem cibo, at saepius oblato, meracisque potionibus nativum calorem, ambientis qualitate afflictum, refocillare.

Is vero qui navigavit, & nausea pressus est, si multam bilem evomuit, vel ab-

*) Aegin. lib. 1.

stinere cibo debet, vel paulum aliquid assumere. Si pituitam acidam effudit, utique sumere cibum, sed assueto leviolem: si sine vomitu nausea fuit, vel abstinere, vel post cibum vomere.

Quod navigantibus turbetur corpus, HIPPOCRATES *) in aphorismis author est. At quod hujus turbationis occasione vomitus fiat, ipsa re patet. Neque enim his tranquillo, sed turbulento duntaxat mari cietur, quum crebris fluctuum ictibus navis succussatur. Magno autem valetudinis commodo hic vomitus, si moderatus est, erumpit: nam ventriculum & post hunc, veluti consecutione quadam, reliquum corpus superfluum onere levat. A vomitu parum alimenti gustandum est, quo facilius id ab labefacto inter vomendum ventriculo superetur, quoque minor sit ad vomitus iterationem proclivitas. Quippe notum est, saturo semper ventre promptius, quam famelico vomere. Itaque si quis hic multam bilem extudit, cibo abstinendus est, aut certe minimum quid ejus assumet. Nam ut iste humor stomachum magis, quam acida pituita laxat,

*) Hipp. Lib. IV. Aph. 14.

sic vomitioni opportuniorem facit: unde fit, quod effuso hoc frigido excremento, etsi solito levius, omnino tamen edendum quid esse CELSUS praecipiat, contraque fit post ejectam bilem, ubi cibus etsi minus, quam illic requiritur, negligitur, quia majore periculo praebetur. Quippe studiose cavendum est, ne per longam vomitionis perseverantiam stomachi vis collabescat, ac benigni quoque succi, non tantum excrementa vacuentur. Jam si irritus navigantibus ad vomendum sit conatus, quod pathema nauseam inanem dicimus, non perperam cibo caretur, idque ne ventriculus excrementis imbutus, probae nutritionis commo corruptis epulis frustretur. Quanquam non penitus alienum sit, plenius quid esse, ac mox deinceps evomere, ut qui ventriculo putris infedit humor, una cum cibo extundatur.

Qui vero toto die vel in vehiculo vel in spectaculis sedit, huic nihil currendum, sed lente ambulandum est. Lenta quoque in balneo mora, dein coena exigua prodesse consueverunt.

Qui diutina fessione lassantur, iis muscoli, qui crus movent, otio obrigescent, quare

paulatim inflecti calefierique lenta ambulatione debent, ut ad pristinum habitum redeant; nam hos si violento motu cieas, periculum est solidarum partium quamquam ruptum aut convulsam iri. Ergo pluscula in balneo trahenda mora est, ut eo magis, quae obtorpescent, emolliantur. Opus vero tenui coena est, tum quia corpus sedentibus minus dissipatum est, tum quia naturae calor longiore otio utcunque elanguit.

Si quis in balneo aestuat, reficit hunc ore exceptum, & in eo retentum acetum. Si id non est, eodem modo frigida aqua assumpta.

Acetum, quoniam facultate frigidum est, ardoris a lavacro contracti molestiam solatur ore diutius contentum. Nam etsi multas partes acres calidasque obtinet, frigidae tamen in eo excellunt: unde praesentius id remedium calidis affectibus, quam frigidis est. Ac notatu dignum est, quod ore id oporteat contineri. Quippe haec pars praecipuis visceribus consentit, cerebro quidem per foramen colatorium, ac latentes substantiae corporis meatus: ventriculo autem communis tunicae meri-

to, quae simul huic interiorem substantiam condit, simul omne intus os vestit. Jam vero sic refrigerato ventriculo proclive est, ea quoque, quae juxta sunt viscera, in suae consensum affectionis pertrahere. At pulmonibus, cordi septoque transverso os consentit, ducti intro spiritus occasione, ipsoque in itinere aceti facultate obiter refrigerati. Neque isti liquori par esse virtute frigida censenda est: nam hujus qualitas crassiore subjecto, illius contra longe tenuissimo includitur, quo fit, ut quam ocysime supra infraque ad commemoratas particulas adspiret. Equidem recte a **GALENO** scriptum arbitror *), omnium, quae novimus, potestate refrigerantium, acetum longe esse tenuissimum. Atque ad hunc usque locum **CELSUS** res novas, aërem, exercitia, cibos, & quae his paria sunt, latiore sermone tractavit; Posthac autem eorum omnium observationem ac varium usum, pro differentia naturarum seu corporum, aetatis, temporum anni, affectarumque seorsim particularum ad calcem usque libri profecuturus.

Ante omnia autem norit quisque naturam sui corporis. Quoniam alii graciles,

*) Gal. 10. Meth.

alii obesi sunt: alii calidi, alii frigidiores, alii humidi, alii sicci, alios obstricta, alios resoluta alvus exercet. Raro quisquam non aliquam partem corporis imbecillam habet.

Sapienter a SOCRATE praeceptum est *γνώθι σεαυτόν* quae sententia corporis quoque naturae accomodari, non tantum animo potest. Nam quid illiberalius, quam quid haec cujusmodique sit corporeae molis fabrica, quam circumferimus, nescire. Cumque nonnulli propensissimis animis in res incumbant quam plurimas, atque maximas cognoscendas, eoque studio omnem aetatis partem consumant, qui quaeso hos non pudeat, omnia scire cum velint, sui ipsorum oblitos esse, propriaeque naturae cognitionem ignorare eam, sine qua valetudo neque prospera tueri, neque profligari adversa commode potest? Equidem hanc medicinae partem, quae de humani corporis natura tractat, omnibus litterarum cupidis atque ingenio non malo natis, scitu necessariam arbitror, utpote cujus contemplatio & multae utilitatis & inexhaustae cujusdam dulcedinis est. Qua re impulsi vetustissimi quique Philosophi, paucis ante HIPPOCRATEM saeculis, hanc

quoque scientiam agitarunt, ex quibus clarissimos, PYTHAGORAM & EMPEDOCLEM, & DEMOCRITUM fuisse accepimus, sic ut & sapientiae studium, & rerum naturae contemplatio sub iisdem authoribus nata sint. Ergo quoniam de corporis natura dicere propositum est, scire licet, sub ejus appellatione multa vulgo significari, quorum pleraque hoc loco veluti πάρεργα sciens praetereo, ac grammaticae professoribus disputanda relinquo, ea tantum daturus significata, quae sunt ex nostrae artis usu.

Primum itaque omnis memoriae clarissimi medici, eorumque facile princeps HIPPOCRATES, naturam vocarunt universam illam substantiam, atque crasim calidi, frigidi, humidi, siccis, quae ex omnibus mundi elementis iusta inter se lege coeuntibus confurgit, estque haec corpori humano cum caeteris animalibus ac plantis communis. Quippe sua cuique rei genitae natura est, ideoque a Graecis φύσις est appellata ἀπὸ τῆς φύσει, quod est nasci. Confit autem ex dicta elementorum crasi communis illa hominum natura inter certos fines, seu gradus primarum qualitatum humanae speciei proprios inclusa, quae nunquam non est calida & humida. Talia nempe om.

M

nia esse animantia GALENUS dixit, quae plusculo sanguine affluunt. Jam quoque in ipsa hominum specie propositae craseos non idem perpetuo est modus; nam in mixtione modo hoc, modo aliud elementum alia superat, aut ab iisdem superatur, sic ut pro qualitatibus primarum temperatura alii calidi, alii frigidiores, alii humidi, alii sicci, aliique *εὐκράτοι*, id est, probe attemperati sint. Porro ex legitima hac elementorum miscela quidam veluti genius confurgit, singulorum temperiem atque indolem nactus, suffultusque naturali solidarum partium humido, tanquam vinculo ac basi totius corporeae compagis, quae & ipsa quoque ex elementis conflata est. Est autem hic genius author omnis naturalis functionis, quatenus principiorum naturae vires habet, vocaturque cum a sapientiae professoribus, tum a medicis alias calor naturalis, alias ipsa quoque natura. Quemadmodum GALENUS memoriae prodidit, naturam animantium nihil aliud esse, quam calidum innatum, quod femini inexistentis corpus ab initio efformavit, auxit, & ad finem usque vitae enutrivit. Hoc integro calido sanitas, afflicto morbus dominantur, ejusque rei causa pro ipsa saepe facultate id quoque usurpatur. Sicuti vero duplex habetur caloris naturalis acceptio (alter enim

insitus est, quem jam nunc proposuimus, alter influens, in corde genitus atque hinc in omne corpus sparsus) ita & uterque pariter naturae nomen pro loquentium usu accepit. Si quidem ad corporis loca, aliquo doloris morfu percita, naturam accelerare dictitamus, calorem intelligentes vitalem copioso sanguine stipatum, ut id quod nocet, depellat. Est enim nihil aliud haec natura, quam vitalis ille calor continenter a corde seu perenni fonte scaturiens, ac purissimo vectus spiritu, in totum corpus quoquo versus dimanans, caelestique instructus facultate, vigorem incolumitatemque omnium operationum conservans. Itaque hujus quoque caloris opus esse perhibemus, quod corpus in aëre quantumvis temperato actu calens, sentientibus occurat, quodque epulis intro in corpus receptis, tum somno oppressis, metu percussis, febriculae accessione rigentibus, frigidaque aspersis, interna magis caleant, externa minus: et contra laetitia exultantibus, ira accensis, pudore suffusis, solio egressis, tota cutis vivido calore efflorescat.

Ac tot quidem sunt apud medicos vocis naturae acceptiones; quibus ea quoque non perperam jungetur, sub cujus nomenclatura passim occulta, seu arcana proprietates significa-

tur, quaeque extra omnem mentis humanae captum posita, sola nosci experientia potest. Cuilibet (inquit GALENUS *) corpori proprietas quaedam temperamenti inest, quae huic quidem naturae sit consentiens, ab alia autem dissentiens, unde fieri arbitror, quod ut vulgo dicitur, tot fere sint palata, quot homines. Alii namque caseum, alii butyrum, plerique bubulam, plures fuillam, alii aliud cibi genus aut appetunt magis, aut fastidiunt, ac (quod magis mireris) nonnulli etiam deleteriis innoxie vescuntur, ut anus illa, quam GALENUS refert Atheniensis, cui soli, quae omnibus exitio cicuta est, ne per aliquot quidem annos esitata nocuit. Hanc reconditae naturae in victu proprietatem GALENUS *sexto sanit. tuend.* luculenter expressit. Duplex est inquit victus genus, unum quod secundum simplices qualitates, aliud quod secundum totam substantiam conveniens est. Illo utimur, quando intemperiem mutare consilium est, hoc sola experientia discernitur. Haec ille. Sane tanta vis latentis hujus naturae est, ut etiam rationes expertes animantes, ad ea quaerenda pabula incitet, quae sibi sunt magis idonea, jumenta nimirum ad herbas, leones luposque

*) Gal. 3. Temp.

ad carnem, & id genus pecudum unumquodque ad familiares sibi escas. Atque hinc tanta subinde exoritur naturarum contrarietas, ut quod uni animanti erat non ingratum, id ipsum alteri non bruto solum, sed etiam homini interdum lethale sit. Cicuta namque homini venenum, sturno nutrimentum est: ferrum struthiocamelum reficit, caeteris animantibus inutile est: Elleborus homini pharmacum, coturnici conveniens esca est. Atque abdita haec incomprehensibilisque naturae vis, in usu aliarum pene rerum omnium, non tantum in victus differentia spectatur; pertinetque ad medicum omnium hominum proprietates nosse, aut certe, si id perdifficile est, ut quam plurimorum norit. Sunt enim, qui omnem medicinam horrent, nonnullis contra gravis ejus nidor etiam voluptati est. Sunt quibus per incisam venam vel primus quisque exiliens cruor leipothymiam adfert, sunt, quos ne vicinae quidem ejus effusae unciae exaniment. Hanc certe naturae appellationem GALENUS I. ad Glauc. usurpavit, docens, non solum communem omnium hominum naturam, sed & cujusque propriam nosse medicum oportere. Habes jam omnia rerum genera, quae naturae vocabulo continentur. Itaque his cognitis, promptius posthac erit constituere, quid, cuique

homini adhiberi, quid detrahi, quid immutari aut conservari expediat.

Tenuis vero homo implere se debet, plenus extenuare, calidus refrigerare, frigidus calefacere, madens siccare, siccus madefacere. Itemque alvum firmare is, cui fusa, solvere is, cui adstricta est, succurendumque semper parti maxime laboranti est.

Irrefragabile tritumque medicorum axioma est: *omnia similibus conservari, contrariis aboleri*. Ex quo colligere est, haec corporibus vitiosis, illa valentibus admovenda esse. Quae tamen lex, ut in morbis perpetua, ita per sanitatem egens limitationis est. Multos enim in sanorum numero reperias, quibus similium usus morbosam intemperiem consciscit; tantum abest, ut pristinum naturae statum conservet. Sed ut istarum rerum discrimina omnibus nota sint, sciendum est, primam propositi axiomatis particulam in iis tantum observari oportere, qui aut absolute temperati, aut saltem non admodum calido humidove intemperati sunt. Nusquam enim recte frigiditas (ut proxime docebitur) aut siccitas servan-

tur, quod hae qualitates nostris principiis ex toto repugnent, interitusque mortalium causae sint. At calidis humidisque hominibus, si sua cuique intemperies secundum naturam est, cur talis non merito conservetur? cur vero nutritio (quae assimilatio quaedam est nutrientis in id quod nutritur) non fiat ab iis, quae & qualitate, & tota substantia similia sunt, quum talis semper materia corpori debeat apponi, qualis defluxit? Quippe hac nos impulsi ratione pueris lac, vinum dilutum, calidasque lotiones: adultis vero panem atque carnem, at senibus meracum praebemus. Ac fere hisce omnibus usu venit, ut appetitus non impar sit cibi potionisque qualitati. Semel diximus de iis nos hactenus agere, quibus naturalis intemperies non est admodum insignis. Nam contra, si qualitatum luxus adeo crevit, ut sanitati vehementer incommodet, tum utique contrariis (absente quantumvis morbo) intrepide pugnandum est, idque ne similibus usu excessus temperamenti exeat in immensum, ac morbo corpus exerceat.

Cadit autem idem hic excessus potissimum in eas primi ordinis qualitates, quae caeteris efficacius agunt, suntque hae (teste ARISTOTELE) caliditas & frigiditas. Earum ergo al-

terutra ut primum sine modo invaluit, necessaria protinus contrariorum erit usurpatio. Facilis enim hic est ad morbosam intemperantiam lapsus. Atque haec ista HIPPOCRATE atque GALENO authoribus loquor, quorum hic 6. *Sanit tuendae* eadem haec sub iisdem pene verbis scripsit, ille *libro de victu Idiotarum* luculenta oratione docuit, sic esse instituendam diaetam, ut calori ac frigori contraria sit ratione habitus, aetatis, & temporum anni. Nec unquam defuit, qui huic animadversioni respondeat, successus. Nam hyeme calidum, aestate frigidum victum majore valetudinis comodo amplectimur, tum senibus meraca portio, juvenibus diluta accommodatior est, corpora biliosa frigidis, pituitosa calidis feliciter nutriuntur. Senes aestate, juvenes hyeme tutiores sunt; et inimicior adolescentibus aestas, hyems longaevis est. Vix dignum admonitione putamus, quod hoc loco cum calidos contrario victu alimus, non id nos calidum notare, quod secundum naturam est, sed quod ascititium naturaeque repugnans est, hoc namque (quod aboleri debet) juvenes magis pollent, illo (quod servandum est) pueri; ac proin his moderate calida, illis frigida convenientiora sunt.

(Hic) caliditas & frigida. Facit ergo

Duplex hoc calidum HIPPOCRATES *) quoque scriptum nobis reliquit. Nam cum *aphorismorum volumine* sic ait: *qui crescunt, plurimum habent calidi innati*, id calidum expressit, quod a femine ortum prorsus benignum naturale, omniumque operationum efficiens causa est. At in EPIDEMIIS **) aliud calidum notavit, ita loquens; *Θερμοκοίλιοι*, id est: *ventre calidi, frigidae carnis et graciles, hi conspicuis venis et iracundiores sunt.* Et idem eodem libro: *in calida natura refrigeratio, potus aquae, quies.* Hoc sane calidum igneum prorsus est squalidum, febrile, ac naturae ex toto contrarium, maximeque in nobis viget, ubi aestas, ubi temperatura biliosa, atque aetas virilis est. Atque hic (ut proxime dixi) contraria victus ratione pugnandum est, ne similibus alimentorum usus temperamenti vitium in immensum efferat.

Quae res (ut modo retuli) non minore cura in frigidis quoque observanda est. Nam haec nobis caelesti illo calore afflatis ex toto contraria sunt, ejusque rei causa nulli functioni (ut GALENUS ait ***) prodesse, nullisque

*) Hippocr. lib. 1. Aph. 14.

**) Hipp. vi. Epid.

***) Gal. 6. Sympt.

rebus genitis (ut ARISTOTELES) unquam misceri nisi ex accidente consuerunt. Porro in intemperantiam labi humiditati non adeo proclive est, ut quae qualitas superioribus ignavior est, atque ad patiendum magis, quam agendum comparata; indeque protinus fit, quod pueris humida convenient, seu nullum intemperiei discrimen minantia, quatenus humiditas ipsis omnis secundum naturam est: adde, quod optime quoque talia inserviunt, tum corporis humecti nutritioni, tum incremento. Quam rem sagax natura persentiens, lac matris in usum humentis alimenti ipsis praeparavit. Haec ipsa nimirum humiditas geniturae atque sanguini primis nostrae vitae initiis maxime affinis familiarisque est, tantoque impensius ejus fruitione pueri juvantur, quanto generationis suae primordiis sunt propiores. Porro etsi constat, praehumidos natura homines magis esse longaevos, ac sanitate, ubi aetate jam processerunt, inconcussa plus caeteris frui, usus tamen venire interdum potest, ut hisce quoque humoris nimietas utcunque extenuari postulet, utique si corpus fluxionum, putredinis, ac redundantiae vitiis facit opportunum. Tum enim non veritus GALENUS *) est, usu plusculae exer-

*) Gal. 6. sanit.

citationis, frequentis ante cibum balnei, medicaminum purgantium, diureticorum atque errhinorum, temperamenti luxuriam reprimere. Idipsum & in quibusdam fieri mulieribus plus justo pituitosis oportet, ut quibus humida intemperies facile in morbum excrefcit; unde fieri arbitror, quod **POLYBUS** *) victum his omnibus, ac potissimum cum utero gerunt, simpliciter siccum instituerit, utique si non ultima sunt impraegnationis tempora, cum in una muliere duo grandia simul corpora continentur. Itaque conceptionis initio tenuans siccansque victus ratio satis commoda est, eo quod tum corpus excrementis non uno nomine gravetur, quando & menses praeter solitum deficiunt, & pauculum nutrimenti in novelli foetus alimoniam infumitur. Jam vero quod ad temperamenti siccitatem attinet, vix scio, an usquam ea debeat servari. Est enim per se naturae prorsus adversa, primaque secum mortalitatis nostrae seminaria trahit, ac proin quae occupat corpora in praecocem senectam praecipitat. Quo magis **GALENUM** miror, cum in *sexto volumine sanitatis tuendae* qualitates proponeret, quae victum semper contrarium exigunt, caliditati & frigiditati non protinus

*) Polybus lib. 1. de victu Idiotarum.

adnexuisse & siccitatem, quae nihilo illis est innocentior, nec in ullo corpore, aut aetate recte servatur. Quippe nullo rerum casu sicca siccis recte foventur, sive hominis temperamentum, sive aetatem, seu anni denique tempora spectes. Quis enim unquam per aestatem juvenis biliosus, quis senex melancholicus per autumnum siccis tuto est usus, sive horum unumquodque per se subest, sive omnia pariter coeunt, tum sive ingens intemperantia, sive levior est? In calida (inquit idem ille *) frigidaque intemperie, contraria semper dare expedit. At si siccus quodvis membrum efficias, nihil manifeste laeferis. Probat vero hanc rem per modum nutritionis, quam esse scribit ejus quod nutrit in id, quod nutritur, assimilationem, idque ut perquam recte diserteque protulit, sic quod sicca (ut ipse colligit) citius siccis uniantur quam humida, neque consentaneum rationi, neque fide, aut GALENO dignum est. Nam cum nihil ante nobis queat assimilari, quam per concoctionem aptum nutriendo corpori redditum sit, sequitur, ut quo quaeque materia minus facile concoquitur, eo tardius quoque assimiletur. Concoquuntur autem longe facilius humida siccis, quod his na-

*) Gal. lib. 6. sanit.

tura ad recipiendam alterationem rebellior, illis promptior sit. Ideoque senes, & hecticos, & longa invaletudine exhaustos, & aliqua animi aegritudine tabescentes, humido alimento cum optime, tum celerrime reficimus. Scio equidem talem corpori debere substantiam apponi, qualis defluxit, ut pristinus naturae status fervetur. At hic non servare habitum, sed in melius mutare studendum est, id quod similitium usu adeo non consequaris, ut priore etiam siccitatis intemperantiam auxeris.

Neque his etiam repugnat vulgatum hoc medicorum placitum: similitium usu sanitatem omnem conservari. Id enim ita in temperatis corporibus fieri certum, in intemperanter siccis aut frigidis, quantumvis leviter sic affectis, non usquequaque tutum est. Nam ut vel maxime detur, id ipsum licere primo qualitatum ordine intemperatis, seu qui minus facile in excessum intemperantiae labuntur, non video sane, qua via quis duo haec incommoda effugiat. Primo, quoniam corporum & causarum salubrium par esse excessus gradus debet, quis ita amissim singulorum inter se modum comparet, quando vis rerum necessario corpus alterantium saepe temere nobis, etiam imprudentibus, etiam invitis exeat in immodicum, cujus rei

occasionem cum in cibo ac potu corrupti fe-
 culi hujus mores, tum in aëre infinita tem-
 pestatum varietas praebent. Alterum incom-
 modum est, quod non vulgares modo, verum
 etiam ipsos saepe rei medicae artifices sui fu-
 giat temperamenti modus, ut absurdum sit
 ita anxie ubique similia studere metiri, paten-
 te latissimo contrariorum campo, quibus non
 subest error tam aut facilis, aut periculofus.
 Quid enim gravioris noxae siccis hominibus
 paulo quid crebriores attulerint potabilium
 aquarum balneae, quid liberaliora vini diluti
 pocula? Quid effusior animi laetitia? quum
 his contra falsa lavacra, vinum meracum ac
 potens, sollicitudines etsi leviter incidant, tae-
 dii tamen periculique plenissima sint? Adeo
 apparet, parum roboris in iis intemperantiae
 servandae praeceptis inesse, quae GALENUS
 partim *sexto sanit. tuendae*, partim *tertio
 Technae* proponit, eaque magis otiosa di-
 sputatione agitari, quam consistere usu pos-
 se. Ergo sicci rectius semper humidis infi-
 stent, quorum usu caveatur, ne quod indies
 in corpore indefinenterque siccescit, minus
 propere siccetur. Estque hoc praeceptum ubi-
 que perpetuum, seu vehemens corpora sicci-
 tas, seu levis occupet. Quid enim? si humi-
 ditatem (quae quidem naturalis sit) semper

tueri seu pretiosissimum naturae thesaurum jubemur, quo tandem rerum statu oppositam ipsi siccitatem non corrigere fas erit. Neque Hercle video, quidnam hic GALENO nostro praetexam, quoniam in *libro de sanitate tuenda* varius esse, ipseque a se dissidere videtur, tot modis siccitatem corporis infectans, eamque referens, cujus culpa omne genitum corpus mortale sit. Jam ipsos quoque natura siccos pessime semper excipi solere, eodem volumine proposuit, scilicet quod temporis spatio senescentibus accidit, id his statim ab initio contingere. Sed missa in praesens haec forte aliis temporibus reservabimus.

Siccitatem longe reddit formidabiliorem juncta frigiditas. Amborum enim coitus rectissima ad praecox senium via est. Proin quum hae qualitates junctis viribus corpus oppugnant, tum profecto si unquam alias, contrariis confidenter insistendum est. Infelicem hanc copulam luculenter in senibus videre est, quos idcirco calidis humidisque indefinenter foveamus. Et si enim iis per sanguinis vasa multum indies fluctuat aquosi excrementi, adeo ut hoc per urinas, per nares, oculos ac palatum effuso corpus in speciem humectum sit, solidae tamen partes grandi siccitatis vitio jac-

tantur. Superflua igitur haec (ut GALENUS docet *) educere oportet, solidas autem ipsas calefacere atque humectare, id quod recte quis vino praestiterit, & meraco simul & diuretico. Sane excrementis modo narratis intentum fuisse POLYBUM **) credibile est, cum victum senibus institueret sicciorem, quod ejus scriptum fide careret, nisi ejus respectu rei, quam diximus, legatur. Quamquam enim senes immodicam vim pituitae ea saepius cogantur assumere, quae siccent & incidant, revertendum tamen his authore GALENO ***) sine mora ad humectantem victum est. Atque his ita definitis, remanet illa, quam initio posuimus, incolumis stata, nec ullis disputantium machinis violanda regula: sanorum probam temperaturam similibus servari; intemperiem vero calidam aut humidam, quae non valde efficax sit, & his quoque iisdem quae vehemens, eaque omnis, contrariis extenuari semper oportere. Dico, quid cuique factu sit opus, non ignarus tamen, id ipsum haud perpetuo propter externa impedimenta fieri posse.

Si-

*) Galen. v. de sanit.

**) Polyb. de victu Idiot.

***) Galen. V. de sanit.

Siquidem ita GALENUS *) sentit, ut omnis sanorum intemperies aut per otium auferatur, aut fervetur propter negotia. Proin qui sic occupationibus distringuntur, ut in mutando temperamento singula suo peragere tempore nequeant, iis pristina retinenda intemperies est, atque omni ejus demutatione supersedendum. Ergo plenus, si a negotiis vacat, sese extenuabit, tenuis implebit, calidus refrigerabit, frigidus calefaciet, madens siccabit, siccus madefaciet. Porro non sine causa CELSUS maxime laboranti seu imbecillae particulae sollicitus est, utpote quae caeteris citius ac pejus semper afficitur, idque tam ab internis, quam externis aerumnis. Facile enim recipit, quicquid natura superflui humoris seu inutile sibi onus in eam excusserit. Quin etiam GALENUS author est, saepe absque omni succorum noxa, solam partis imbecillitatem gravis inflammationis causam exstitisse. Atque hactenus CELSUS in genere docuit, id esse immutandum, quod naturae modum excedit. Posthaec vero exponet, quibus praesidiis unumquodque eorum corrigere genus oporteat.

*) Galen. 5. de sanit.

*DE CAUSIS, QUAE IMPLENT COR-
PUS.*

Implet autem corpus modica exercitatio, frequentior quies, unctio, & si post prandium est, balneum, contracta alvus, modicum frigus hyeme, somnus & plenus & non nimis longus, molle cubile, animi securitas, assumpta per cibos & potiones, maxime dulcia & pingua, cibus & frequentior, & quantus plenissimus potest concoqui.

Gracilitas (quae deficiens quaedam nutritio est) contrahitur alias ab intemperie sicca, cui modo calor, modo frigiditas sociatur, alias ab imbecillitate facultatis tum distributivae, tum nutritivae. Proinde iis illa remediis probe curabitur, quae & humectant & alimenti in corpus distractionem (*ἀνάδοσιν* Graeci dicunt) vimque partium nutritivam juvant. Ad quorum omnium facultatem apprime confert modica corporis exercitatio, ut quae sanguinem ex penitissimis visceribus in extimas venas ac summam corporis molem quoquo versus effert sine valida ejus dissipatione, unde efficitur ut habitus facilius capax ex oblato cibo novae materiae sit. Id siquidem modico labori pro-

prium, immodico negatum est, quoniam hic quantum adjuta anadosi prodest, tantum vicissim nimia nocet dissipatione, quae gracilibus ex toto contraria est. Nempe his implere habitum, non extenuare propositum est, idque sanguinem bonum (ex cujus abundantia omnis confit corpulentia) in corporis molem trahendo, tum vim firmando nutricem, simulque ut quam minimum ejus, quod attractum est, exhalet prospiciendo. Quae omnia ut consequeretur GALENUS *) non solum modicam exercitationem, sed & friciones, perfusiones, verberationes, picationes, gracilibus particulis adhibebat, felicique eas eventu in symmetriam ac naturalem habitum vindicabat. Ad easdem res & moderata quies confert, qua durante, ut succorum instauratione melior, ita minor quoque corporis difflatio est. At moderata quies esto, ne non distracto in venas alimento, ejus frutione corpus frustretur. Nam hac ratione multos opinione citius emacruisse & experimenta, & GALENUS testantur **)

Efficacissima gracilibus ex unctione medella est. Namque haec cum molli adhibita fric-

*) Gal. 12. Meth.

**) Gal. VI. Epid.

tione multam sanguinis vim in carnes attrahit, pinguetudineque sua cutis obstruit, spiramenta iterque claudit, quo id, quod eo succi pertractum est, prompte alioqui diffletur. Ad quam rem picatione quoque, non tantum unctione, GALENUS *) utebatur, eoque se refert praesidio multos ἀτροφύτος paucorum spatio dierum carnibus implese. Tanto namque picatio caeteris maciei remediis praestat, quanto fidelius intra habitum id, quod affluxit, sanguinis, includit. Sequitur posthaec balneum a cibo adhibitum, in quo maximum extenuatis repositum adjuvamentum est. Primum enim membra, quae siccitate rigescunt, id emollit: & quae connivent, recludit; adhaec calorem toto habitu movet, cuius ope nutrimenti pridem elaborati, necdum tamen in nutritionem interiorum insumpti, attractio, promptaque assimilatio fiunt: postremo omnibus grato perfusis humore incrementum siccitatis tardat. At magna cura opus est, ne longiore in balneo mora corpus consumatur. Sed neque hoc silentio quoque praetereundum, non esse tempestivam lavationem, quae cibum protinus excipit. Nam metus est, ne haec ista nimia maturatio cruditatem obstructionemque visceri-

*) Gal. v. san.

bus ac vasis conciliet. Permotus est hoc incommodo Princeps AVICENNAS, ideoque non ante in balneum deduci macros jubet, quam epulis ad unguem a ventriculo confectis. Sed nec ipsum praeteribo GALENUM *), qui etsi ad maciei depulsionem tantopere balneas a cibo commendat, periculi tamen nos etiam atque etiam commonefecit, quod exilibus mesenterii ac jecoris vasis ab obstructione impendet. Succedit balneo dura alvus, ideo macilentis non leve praesidium, quod sic totus pene oleti mador in venas abeat, vix tantilla ejus portione cum arida ventris saburra ad alvum demissa. Medetur insuper gracilibus modicum hyemis frigus, ut quod dissipationem corporis cohibet, absque valida succorum ad interna pulsione. Quod quidem beneficium immodico frigori negatum est, quoniam gracilibus habitum penitus minuit, constrictis intro in corpus succis, ut ne dicam, etiam vehementi hujus qualitatis potentia facillime hic interna violari.

Sequitur implentium ordine fomnus, is qui plenus sit, ac neque nimium longus, neque brevis. Pleno namque corpus affatim

*) Gal. 14. Meth.

humectatur, crudis omnibus vi concoctionis in probum sanguinem converfis. At longo calor infitus emoritur, cruda accumulatur, impeditaque succorum anadofi, corpus nutritione frustratur, per brevi concoctio probe fieri eoeperta interrumpitur, sicque humores instaurantur ad felicem nutritionem inidonei. Adeo apparet, nullum gracilibus conducere somnum posse, nisi plenum. Porro molle cubile his quoque subvenit, emolito ac relaxato inde habitu, ideoque ad multam vim sanguinis recipiendam adparato. Sicuti contra durum cubile cutem adstringit, & succos, quo minus facile ad carnes ferantur, impedit. Ita enim omnium nostrum comparatum naturae est, ut sese ad res jucundas ea explicet, quoquo versus circa ipsas extensa, rursusque refugiat omnia, quae aliqua contritione molesta sunt. Quae profecto causa est, quod ex asperarum rerum contactu corpora densescant: molliantur vero fundanturque ab iis, quarum voluptuosus gratusque occurfus est.

Adnumeratur gracilitatis auxiliis & animi securitas, quatenus in omne corpus naturam longe lateque diducit explicatque. Naturam voco, sanguinem, calorem, atque spiritum, quae per inamoenas illas sollicitudines in pro-

fundum corporis demersa, squalido ibidem calore marcescunt, totumque subinde corpus in suae affectionis consensum pertrahunt, ut optime dictum hoc a sapiente sit: *Animus gaudens aetatem floridam facit; spiritus tristis exsiccat ossa.* Sequuntur ordine dulcia & pingua, quae quoniam substantia nobis sunt perquam similia, ocysissime plenissimeque nutriunt, ac corpus in tumorem attollunt. Quippe omnium eorum, quae nutriunt, communis authore GALENO *) dulcedo est, suntque ob id dulcia naturae semper acceptissima; ut contra gustui insuavia ac naturae ingrata, amara, acria, acida atque austera. Atque hinc adeo fit, ut dulcia reliquis citius viscera obstruant, & venenis mista sumentis exitium accelerent. Siquidem avide haec a natura propter substantiae quandam veluti cognationem expetita, celerime in venas abripiuntur. Quid, quod humidum id naturale radicitus nobis inhaerescens, quo solidae partes corporis seu basi stabiliuntur, prorsus dulce pingueque apparet, ita profecto ut oleaceae eorum dejectiones atque urinae testantur, quibus ob hecticas seu ardentes febres solida liquantur. Caeterum quod cibus & plenus & frequens vehementer

*) Gal. 4. Sympt.

nutriat, ex iis est, quae ipsa re patent. Rec-
te tamen CELSUS adjecit, quantus plenissi-
mus potest concoqui. Nam si alioqui copia
superat ventriculi vires, jam non implere cor-
pus, sed saepe etiam extenuare assolet, de-
jecta ante concoctionem per alvum esca, aut
si haec forte intus retinetur, generato inde
sanguine ad probam nutritionem inidoneo.

*DE HIS, QUAE EXTENUANT COR-
PUS.*

Extenuant corpus aqua calida, si quis in
eam descendit, magisque si salsa est,
in jejunio balneum, inurens sol, & om-
nis calor, cura, vigilia, somnus, nimium
vel brevis vel longus; lectus per aesta-
tem terra, hyeme durum cubile, cursus,
multa ambulatio, omnisque vehemens exer-
citatio, vomitus, dejectio, acidae res &
austerae, & semel die assumptae epulae,
& vini non perfrigidi potio, jejunio in con-
suetudinem adducta.

Aquae calidae contraria inter se sunt of-
ficia, & implendi corpus & extenuandi. At

non eodem utrumque fit tempore, nec in sub-
 jecto similiter utrobique affecto. Nam initio
 corpus implet, pellectis in habitum succis, tum
 profecto, cum his intima viscera etiamnum af-
 fluunt. At multo post eadem lotio corpus quo-
 que extenuat, quatenus plus dissipat succorum,
 quam trahit. Neque enim viscera plus san-
 guinis a se divelli sinunt, utpote prioris balnei
 tractu vacuata, ac proin ipsa quoque succorum
 egentia suam inopiam strenuissime tutantur,
 quo fit, ut cum nihil ex his venit, & lavatio-
 ne tamen non abstinetur, habitus certe univer-
 sus concidat, exinaniaturque: cujus rei gravif-
 simum testem habemus HIPPOCRATEM *),
 qui sic in epidemiis loquitur: *quae pars cali-
 dis undis fovetur, primum tumet, post gra-
 cilescit.* Ergo ubi corpus extenuare consilium
 est, id continenter lavandum tantisper erit,
 donec quod prius intumuit, subsidat, longeque
 expeditior haec fuerit vacuatio, si aqua sit sal-
 sa, ut quae in siccando est multo potentissima,
 adeo ut GALENUS **) quendam sibi visum af-
 firmet, qui falso innixus iudicio, hujusmodi la-
 vationis usu ita habitum sui corporis siccarat,
 ut tandem difficillima consumptus tabe perie-

*) Hipp. 6. epid.

**) Gal. 1. ad Glauc.

rit. Posthaec extenuat, & bálneum jejunis administratum, eodem modo, quo superius demonstravimus, inanibus visceribus per calidas lotiones corpus consumi. Jam quod inurens sol habitum minuat, siccetque, documento sunt ii, quibus in eo diutius apricatis tota cutis, subjectaque huic proxima caro arefcit, instarque lori dura ac frigosa redditur, tametsi id sit non tam caloris, quam siccitatis illi annexae opus. Atque hic immodici duntaxat solis effectus est: nam contra, qui mediocriter calet, fundit humores, cutem lenit, ac subjectam ipsi carnem solito reddit molliorem. Ventum est ad curas, sub quarum appellatione omnia perturbati animi pathemata complecti, plenioris doctrinae causa non alienum est. Singula enim horum ita ut curae, hominem conficiunt. Ejus generis sunt, tristitia, timor, ira, ipsaque quavis Erynnide peior invidia. Nam recte habet epigramma: *Livor tabificum malis venenum. Intactis vorat ossibus medullas. Et totum bibit artubus cruorem.* Et JULIUS CAESAR male natos, invidos notans, cavendum dixit a macilentis, qualis BRUTUS erat, qui ipsi tandem lethali vulnere latus hausit. Sed agedum, harum rerum causas exponamus. Omnes animi affectus una cum animo ipso in corde residere, apud philosophos in confesso est.

Animo autem ad affectus commode exferendos depromendosque, spiritus vitalis ut idoneum instrumentum infervit, calore uberrimo, sanguineque purissimo, tamquam praesidiario milite semper instructus, estque hujus spiritus officium praecipuum, animo, seu potentissimo corporis Monarchae, continenter assistere, ac modo foras confertim erumpens, modo intro in suam veluti arcem sese recipiens, omnibus ejusdem animi passionibus famulari. In mœrore, tristitia, metu, idem spiritus ad cor vadit, ubi imbellis animus, velut cavea clausus, terrentis rei occursum effugit, eoque fit, ut timidibus ac mœstis extrema frigeant. Contra vero in ira spiritus cor petens, collectis ibidem viribus confertim sese foras ad summa corporis effundit, idque eo, ut ait GALENUS*), motionis modo, quo calor revocatur iis, qui frigida loti sunt. Duplex enim cum his, tum iratis motus est. Primo enim spiritus ad sedem animi revocatur, averfati rei bilem moventis indignam praesentiam, eodemque temporis articulo extrema pallescunt. At paulo post, impellente animum judicio, spiritus pene omnis e bullienti sanguine, fervidoque calore tanquam auxiliariis copiis stipatus, affatim fo-

*) Gal. 5. sympt.

ras ad cutem emergit, ut id scilicet persequatur, quod mens ultione dignum existimat. Jam vero quid de invidia dicam, qua ne siculis quidem tyrannis inventum majus tormentum est? Haec alterius virtute, ac laeto rerum successu excitata, spiritum ad cordis specum adsciscit, ubi malis incurfibus furiatus animus, suos secum dolores noctes diesque evolvit, multum in hoc spiritus infumens, neque quidquam ejus in extimum ferri corpus sinens. Ideoque fit, ut sicut invidorum animus infernali caligine horridus est, ita vultus quoque totusque habitus cadaveroso pallore foedetur. Omnibus hisce animi emotionibus commune est, quod interposito spatio corpus extenuent, tametsi omnes eodem id non faciant modo, nec efficacia pari. In timore enim, ac mœstitia (quae nullo alio inter se differunt, quam quod hic lentus, illic celer sit motus) spiritus vitales ad suam scatebram refluunt, ubi compressi, marcidoque calore incensi tabescunt, ex quo corpus frigidius tandem, sicciusque reddi necesse est; depascente nimirum squalido febrilique calore (nativus enim tum indies intermoritur) insitam cordis humiditatem, quod deinceps viscus suae affectionis consensu reliquum corpus afficit. Siquidem mœstis, authore GALENO*) acrimo-

*) Gal. 1. ad Glauc.

nia potius caloris, quam abundantia inest. At vero, ira (si quidem ea perseverantior est) corpora extenuat, diversa penitus ratione. Nam cum haec sit juxta PLATONEM, seu ebullitio quaedam sanguinis circa cor, vehementius corpus inflammando dissipat. Nempe in hoc pathemate calor neque intus, ut in timore fit, occulitur, neque ibidem emarcescit: sed contra potius juxta fontem caloris primum exardescens quam mox ex imis praecordiis foras ubertim erumpit, seseque quoquo versus in omne corpus diffundit. Ideoque recte GALENUS *) dixit, irascentibus caloris abundantiam inesse, & ob id nunquam quemquam ex hoc pathemate animam amisisse. Caeterum invidia medullitus cor exedit, ubi malus animus rerum se augmentium imagines assidue versat, per quas actiones spiritus, squalido incensus calore, ipsum quoque cor, & post hoc universum corpus marcidum reddit, sic ut tandem omnis ipsi color decorque pereat. Qui vero curis, altioribusque mentis cogitationibus conficiuntur, in iis spiritus e vitae principio ad mentis arcem correpti, multa quoque ibidem functione accensi, primo quidem cerebri substantiam, mox vero cor, ac tandem ipsum quoque corpus reliquum

*) Gal. 1. ad Glauc.

per mutuae sympathiae legem hectico squalore obterunt, actionesque naturae omnes everunt. Recte enim GALENUS scripsit: συμπᾶσχειν ἀλλήλοις ἀπάσας τὰς δυνάμεις τὸ ζῶον δυνάμεις. Posset his jure addi res solliciti plena timoris amor, quo vix scio, an quicquam magis hominem conficiat. Nam spiritus vitales variis modis oppugnat exercetque, modo iras excitans, modo vanos timores fingens, interdum invidia, saepe odiis immortalibus animum excrucians. Quin etiam ipsam impetens mentem, infaniae, dementiaeque causam praebet. Quid multis? Omnia sursum deorsum in corpore agitat, ut nil mirum sit, tantopere hinc aliquem contabescere. Atque haec de animi emotionibus dixisse sufficiat. Sequuntur in extenuantium ordine, vigiliae, nec sine causa. Nam vigiles sensus quia nunquam esse possunt otiosi, quiescente quantumvis corpore, spiritus primum animales, atque hinc consecutione quadam vitales etiam multo usu obterunt, tabefaciuntque. Adhaec vitalibus spiritibus jugiter in cerebrum ascitis perfectio, tum chyli in ventriculo, tum chymi in hepate ac vasis labefactatur. Supra namque demonstratum est hunc vitae spiritum ad concoctionis integritatem perquam necessarium esse. At vero imperfectam concoctionem, nulla sequi-

tur proba nutritio, ut quae tota in assumpti alimenti assimilatione posita est, cumque nihil coalescere corporis substantiae possit, nisi plurima subactum victumque alteratione, corpori alendo factum sit idoneum, quid miri, si frustratam concoctionem extenuatio membrorum sequatur. Neque alia ratione, somnus quoque, si vel nimium brevis est, vel longus, corpus emaciat, quam quod concoctioni incommodet, juxta illud HIPPOCRATIS *): *gravis vigilia, potus cibosque tum crudos, tum incoctiores reddit: at ea, quae in contrarium fit transmutatio, corpus dissolvit, &c.* De duro cubili suo loco dictum est. Eademque ratio habetur de lecto per aestatem terra, tametsi id cubationis genus tutius fuerit Graecis atque ultimis Italis, quam nostrae regionis incolis. Quod autem vehemens exercitatio corporis molem atterat, & supra abunde monstratum est, & ab HIPPOCRATE **) in epidemiis, his verbis approbatum: *extenuatio cursu, luctatione, multis celeribusque obambulationibus efficitur.* Adhaec cur vomitus & dejectio idem possint, ipsa re notum est. Ambo enim haec ex genere sunt maximarum

*) Hipp. 2. de victu acut.

**) Hipp. vi. epid.

corporis vacuationum. Adde, quod necessum plane sit, digestionem alimenti in corpus assidua ventris deiectione minui, assuefacientibus nobis nutritionis instrumenta, quaecunque continent, ea statim pessum impellere. Sic enim neque urina commode fieri, neque ali corpus cibo potest. Porro acidae res atque austerae ob id extenuant, quod ut jam pridem dixi, ad nutriendum sint ineptae. Idem possunt & rarius assumptae epulae, ex quibus scilicet parior est succorum proventus. Novissimum hoc ordine locum habet, vini neque energia, neque facultate perfrigidi potio, jejuno in consuetudinem adducta: haec enim corpus cum per halitum, tum per urinas digerit.

Cum vero inter extenuantia posuerim vomitum & deiectionem, de his quoque propria quaedam dicenda sunt. Ejectum esse ab ASCLEPIADE vomitum in eo volumine, quod de tuenda sanitate composuit, video, neque reprehendo, si offensus eorum est consuetudine, qui quotidie ejiciendo, vorandi facultatem moliuntur. Paulo etiam longius processit. Idem purgationes quoque eodem volumine expulit.

lit. Et sunt hae perniciosae, si nimis va-
 valentibus medicamentis fiunt. Sed haec
 tamen submovenda esse, non est perpe-
 tuum, quia corporum temporumque ratio
 potest ea facere necessaria, dum & mo-
 do, & non nisi cum opus est, adhibean-
 tur. Ergo ille quoque ipse, si quid jam
 corruptum esset, expelli debere confessus
 est. Ita non ex toto res condemnanda est,
 sed esse ejus etiam plures causae possunt,
 estque in ea quaedam paulo subtilior ob-
 servatio adhibenda.

Optimo jure **CELSUS** errorem notat
ASCLEPIADIS, qui vomitionis atque dejec-
 tionis usum fanis ademerat, non alia forte per-
 motus causa, quam quod nonnullis haec ista
 usurpantibus, gravis quandoque orta noxa sit.
 Istud vero quam sit iniquum iudicium, nemo
 non videt, qui venae quoque sectionem, exer-
 citium, balneas, unctiones, & id genus salu-
 taria utriusque valetudinis praesidia, fuisse sae-
 pe perniciose reputat, non quidem suapte ip-
 sorum natura, sed utentium errore. Sane id
 pro lege putare, quod raro evenit, hominis
 parum circumspecti est; quae vero rerum abu-

O

sus vitia profert ea ipsis tribuere rebus, etiam
 imperiti est. Neque vero obtinere ASCLE-
 PIADES, si viveret, unquam posset, quod
 nulla fanis incidat vomendi purgandive cor-
 pus necessitas, cum tanta sit temperamento-
 rum vis, tanta eduliorum varietas, tot ab aë-
 re, motu, quiete, somno, vigilia, caeterisque
 id genus rebus alterationes nos indies circum-
 veniant, afficiantque, ut fieri plane non pos-
 sit, quin saepe ex assidua horum omnium con-
 suetudine, vitium aliquod in ventre, aut in
 ipsis venarum succis, vel imprudentibus nobis
 succrescat, quo si quid jam semel imbutum fa-
 cessere negotium naturae cœpit, cur non liceat
 infra suprave excludere? Quasi vero hanc va-
 cuandi licentiam non solum medicinae lex rec-
 taque ratio nobis permiserit, sed ipsa etiam
 non monstravit natura, quae saepius in ipsis
 quoque fanis absque pharmaco noxios humo-
 res modo per os, modo per alvum suapte spon-
 te ejicit. Neque vero illud HIPPOCRATIS *)
 ASCLEPIADI ulla in re patrocinabitur: *qui
 integra sunt corporis valetudine, medicatio-
 nes aegre molesteque ferunt.* Sed neque illud
 quicquam arguerit: *Elleborus sanas habenti-
 bus carnes periculosus.* Iste enim aphorismus

*) Hipp. Lib. 4. Aph. 16.

de iis scriptus fanis est, quos nullum urget ca-
 cochymiae vitium: his enim vomitum, aut
 purgationem commodam esse nemo, qui sa-
 pit, putat. Quanquam si vel maxime vitium
 valentibus aliquod subest, ne ob id quidem
 convenire elleborum censemus, longe sinceriore
 materia medicaminum reperta cathartorum,
 quae partim energiae placiditate, partim com-
 positionis felicitate ut majore fructu, ita pe-
 riculo minore, quod corpori superest, demunt.
 Ideoque barbarorum scholis *Benedicta* sunt ap-
 pellata. Ergo ob id vomitus fanis prodest,
 quod ventriculo fordes, tum pituitosas, tum
 biliosas eximat. Cujus vacationis quantus sit
 fructus, ipsum ventriculi munus ostendit: quod
 si in aliquo sit diminutum, totius illico corpo-
 ris nutritionem frustrabitur. Scilicet nec he-
 pati nec solidis membris proclive est $\chi\upsilon\lambda\acute{\omega}\sigma\iota\omega\varsigma$
 vitium corrigere, quatenus unaquaeque par-
 ticula concoctionem expedire duntaxat suam,
 non item alterius emendare nata est. Jam ve-
 ro & tota saepe corpora non unicum semper
 ventriculum vomitus expurgat, cum aut po-
 tentibus emeticis cietur, aut fortuito ab ipsa
 provocatur natura, sanguinis totius colluviem
 (ut per febrium crises fit) in ventriculi cavum
 effundente.

DE VOMITU.

Vomitus utilior est hyeme, quam aestate. Nam tum & pituitae plus, & capitis gravitas major subest. Inutilis est gracilibus, & imbecillum stomachum habentibus. Utilis est vero plenis & biliosis omnibus, si vel nimium se replerunt, vel parum concoxerunt. Nam, si plus est, quam quod concoqui possit, periclitari ne corrumpatur, non oportet: si vero corruptum est, nihil commodius est, quam id, qua via primum expelli potest, ejicere. Itaque ubi amari ructus cum dolore & gravitate praecordiorum sunt, ad hunc protinus confugiendum est. Item prodest ei, cui pectus aestuat, & frequens saliva, vel nausea est; aut cui sonant aures, aut madent oculi, aut os amarum est. Similiterque ei, qui vel caelum, vel locum mutat; his, quibus (si per plures dies non vomuerunt) dolor praecordia infestat. Neque ignoro, inter haec praecipui quietem, quae non semper contingit.

re potest agendi necessitatem habentibus, nec in omnibus idem facit. Itaque istud luxuriae causa fieri non oportere confiteor. Interdum valetudinis causa recte fieri experimentis credo. Commoneo tamen, ne quis, qui valere & senescere velit, hoc quotidianum habeat.

Vomitus educit (authore GALENO *) pituitosa, biliosa ac serosa excrementa, quae tum in ventriculo genita, tum aliunde in ipsum sunt derivata. Primo itaque ventriculum, secundario, ac quadam veluti consecutione, universum etiam corpus exinanit. Proprium ventriculi excrementum pituita est, partim quia nervacea frigidaque ejus partis substantia est, partim quia omnium prima sustinet rudimenta ciborum, ubi verisimile est crudas frigidisque fordes magis coire, quam in reliquis concoctionum officinis. Ergo ut vomitus nunquam non sublevat ventriculum pituita gravem, ita eum praecipue juvat, cum tempus hybernum superantis materiae luxuriam fovet. Tum enim & coelum frigore, & cibus luxu magnam

*) Gal. 6. Sympt.

ventriculo ad cruditates fenestram patefaciunt. Atque hac re (ut author est GALENUS *) permoti veteres vomitum a cibo alii bis, alii semel duntaxat in singulos menses per hyemem cieri jubebant, quo pituita videlicet omnis ex ventre pelleretur. Ea enim paulo longius intus morata computrescit, ventriculi tunicas erodit, & caput vitiatis halitibus tentat. Neque vero his repugnant HIPPOCRATES **): *aestate supra, hyeme infra purgandum* docens. Hoc enim aphorismo eum humorem notavit, qui ex omni undequaque corpore in aliquam ventris regionem defluit, qui vero ibidem genitus infedit, non item. Quippe hujus derivatio pro communi vacationis lege per os seu proximiorum locum molienda est. Graeci, istud *παρὰ χεῖλυσιν* appellant. Ejusque rei testis HIPPOCRATES ***) sic loquitur: *supra septum transversum dolores purgationis egentes per superna purgandum esse significant, qui vero infra sunt, per inferna.* Haec ille: at vero influentis in ventrem humoris impetus, quacunquē ultro pro more suo effertur, eo sequendus est, juxta illud HIPPOCRATIS: *quo natura inclinatur, eo ducere*

*) Gal. 5. de usu partium.

**) Hipp. lib. 4. Aph. 4.

***) Hipp. lib. 4. Aph. 12.

convenit. Ergo ut aestate bilis, & hyeme pituita magis toto corpore luxuriant, ita hic dejectio, illic vomitus (si quidem humor ad ventrem e venis aut ultro repat, aut medicina ducatur) promptiora sunt. Bilis enim pro sua levitate facile sursum evolat, ut pituita contra pondere laborans suo ad ima sedit. Tametsi haec ista motionis lex saepe fallat, ac neque semper bilis sursum vergat, neque deorsum pituita. Nam Eudemo philosopho (ut refert GALENUS) supra pituita, infra bilis. Paulo rethori contraria via exuberabant. Propterea ne qua restet erroris in purgando occasio, praestare arbitror, humoris vacuandi impetum non tam ratione investigasse, quam ipso didicisse experimento. Atque haec quidem temporibus atque humoribus in vomendo observatio debetur. Corporum vero non parva quoque habenda ratio est. Neque enim omnibus juxta aut utilis est, aut proclivis vomitus. Conducibilem CELSUS ait plenis ac biliosis, quod ut probe intelligatur, paulo latiorem exigit explicationem. Plenos itaque AUTHOR *) intelligit carnosos, ut alias significavit, sic inquiring: *gracilibus magis sanguis, plenioribus magis caro abundat.* Nimirum corpulentia

*) Cels. lib. 2. cap. 10.

carnosa (est enim & altera adiposa) a calido humidoque contrahitur. Ideoque in primo ortu calor thoracem dilatavit, humor multa carne intexuit, ut hoc nomine commodus facilisque vomitus fiat. Siquidem id plenis natura inest, quod HIPPOCRATES *) alias in difficulter vomentibus arte quaerebat pluscula: *eos quiete, et copiosiore cibo ante vomitum humectans.* At vero hujus praesidii necessitas tum multo maxima est, cum quid stomachum gravat, seu pravus aliquis humor, seu corruptum aut corruptioni proximum alimentum hanc partem obsederit. Proin recte CELSUS tum demum his esse vomendum dixit, cum sese nimium replerunt, aut parum concoxerunt, simul indicans & facilitatem vomitionis & oportunitatem. Videtur his refragari HIPPOCRATES **) sic inquit: *aegre vomentes, et modice carnosos inferne purgato, devitans aestatem.* Cujus aphorismi interpretationi, neque GALENUS, neque ejus commentatores fecerunt satis. Ille, cur aestas hic observari debeat, duntaxat exposuit, cur mediocriter carnosus vomitus noceat, dissimulavit. Hi vilissimorum mancipiorum instar ab domini vesti-

*) Hipp. lib. 4. Aph. 13.

**) Hipp. lib. 4. Aph. 7.

giis ne latum quidem (ut ajunt) culmum discedere ausi, transeunter ejus scripta, tanquam canis Nilum, delibant, neque ponere, quod ab eo authore praeteritum, neque amplificare, quod nimis contractum est, sustinent. Ergo μέσως διάσάκῃ; (sic enim HIPPOCRATES loquitur) καὶ δυσκμέας, id est: utcunque carnosos unaque difficulter vomentes intelligemus ipsos apprime pituitosos, ac dein aliqua ex parte melancholicos. Pituitosi enim propter humiditatem temperamenti carnis quoque bonam portionem, non tantum adipis habent, tamen ea caro neque adeo firma, neque adeo multa ut simpliciter carnosus fit, ac proin his facilis, illis vomitus difficilis jure censetur. Pituitosos intelligo non φλεγματίας τὰ ἄνω, seu stomacho tantummodo tales, sed toto corpore. Nam prioribus, quoniam pituita circa stomachum multa redundat, per os seu locum viciniorem rectius purgatio quaeritur. Nempe eo nomine hyeme quoque utiliter vomit, supra demonstravimus. Aliis vero καθ' ὅλον pituitosis, cum propter stomachi firmitudinem thoracisque angustiam, tum quia nulla humoris superne vacuandis necessitas est (totius enim corporis inutilis pituita rectius infra purgatur) vomitus omnis inidoneus est. Jam vero melancholicorum nonnullis (naturae frigiditate effi-

cacia siccitatem superante) habitus utcunque attollitur, sic ut in speciem carnosæ viderentur, nisi lividus eos color, nigrumque capillitium ac tenues venae proderent. Et ii quoque reliquorum melancholicorum exemplo difficulter vomunt, tum quod humoris acidi occasione firmus his stomachus sit, eoque minus ad vomendum pronus, tum quod melancholia omnis suapte impetu ad inferna potius fidat, ut ne dicam etiam cunctos uno ordine melancholicos pressiore pectore esse, ideoque de ruptione alicujus in eo vasis, ubi vomunt, periclitati. Superfunt modo biliosi, qui cur non aegre vomant, proxime dicetur, ubi de gracilibus agemus. Biliosos intelligas oportet, non solum toto corpore, sed etiam τὰ ἄνω duntaxat πικροχόλης, qualem Paulum rhetorem fuisse supra retulimus, ob pravam scilicet meatus biliarii in ventriculum implantationem plurimum indies bilis supra per os effudentem, caetera tamen pituitosum. Hic nisi vomitu amarum excrementum ante extudisset, quam cibum caperet, nullum concoctionis fructum sentiebat. Cum horum πικροχολῶν, tum reliquorum omnium symptomata, seu notas quasdam, quibus ii noscantur, CELSUS in praesentia proponit. Ac primum quidem ructus amari, una cum praecordiorum dolore (καρδιωγμὸν Graece

dicitur) gravitateque excrementi biliosi ibidem redundantis acrimoniam sequuntur. Iisdem de causis pectus aestuat, & frequens tenuisque saliva & nausea est, quae duo jamjam in foribus esse vomitum denunciant, praesertim oborto jam capitis dolore ac vertigine, agitatoque labro inferiore. Caeterum ut semper qualiscunque nausea vomitum antecedit, ita non usque sequitur vomitus nauseam. Quoties enim prae tenuitate altius immerfi, ac veluti imbibiti humores ventriculi tunicis sunt, aut alioqui propter lentorem tenacius affixi, nausea inanis, irrita, seu quae absque vomitione fit, movetur, & ipsa quoque sub hac authoris comprehensa regula. Aurium vero sonitus, & ortae oculis lachrymae fiunt, subvolante e stomacho sursum versus bilioso halitu, qui acris admodum mordaxque cum sit, haud aliter, quam fumus ab igne redditus, aut acris vapor ab inspecta caepa resiliens oculos pungit, roditque, ut hinc exprimi lachrymas nihil adeo mirum sit. Idem quem diximus halitus per aures subinde foras elapsus, auditus organon obiter verberat, tinnitumque facit non dissimilem ei, quem edunt pulsata templorum aëra. At os amarescit ob continuitatem substantiae faucibus cum ventriculi interna tunica communis, ejusque rei causa haud raro compertum

est, contenta in ventriculo multa bile, vel dulcissima quaeque maxime amara esse videri. Atque hactenus de bilioforum symptomatis, satis superque: quorum praecipuam partem HIPPOCRATES *) hoc aphorismo complexus est: *non febricitanti cibi fastidium, cordis dolor, vertigo tenebricosa, et oris amaritudo, purgatione per superna opus esse significant.* Sequitur mutatus aër, qui tum demum vomitionem non inutilem facit, quum ad contrariae temperaturae loca fit transitus. Aliud enim hic cœlum, alius cibus, aliaque saepe vivendi norma, omnes corporis actiones innovat, ex eaque re orta in venis turbatio, ac nescio, quid insoliti tumultus, interveniente naturae opera, inutiles, si qui sunt humores, a bonis sequestrat, quos humores subinde vomitus (tum quia subsunt hi, tum quia permoti fluxui auscultant) summo cum valetudinis comodo exhaurit. Juvat vomitus & hos insuper, quibus is plusculis diebus praeter morem intermissus est. Tum enim praecordia dolor exercere consuevit, superfluis in ventriculo retentis, eumque tum qualitate seu stimulo, tum copia seu gravi pondere molestantibus. Huc enim vasorum illuviem natura pro consuetu-

*) Hipp. lib. 4. Aph. 17.

dine pellit, aut certe ventriculus intra se cumulatius gignit, purgari vomitione suetus. Hac-
 tenus quibus corporibus vomitus idoneus sit
 proposuimus, proximum est, quibus incom-
 modet, id quoque jungere. Existit hoc loco
 quaestio subdifficilis, manifestaue inter HIP-
 POCRATEM atque CELSUM pugna, quae ut
 incolumi utriusque viri autoritate dirimatur,
 non inutile fuerit, paulo altius rem omnem
 inspicere. Vomitus omnis depravata ventri-
 culi expulsio est, ingentique fit fibrarum ejus
 transversarum connixu, ut quae stringendo sur-
 sum versus materiam per os extundunt, ideo-
 que hic expulsionis modus quia naturae repu-
 gnat, nunquam fieri nisi ventriculo male affec-
 to potest. Quomodo enemata (referente GA-
 LENO) aliquando per os rejecta sunt, ac per
 lethales volvulos ipsum etiam oletum. Ut
 enim ventriculi tunica interna, rectis fibris toti
 gulae atque ori contiguas, cibos trahit, sic ex-
 terna transversis contexta fibris, quemadmo-
 dum deglutationi quoque inservit, ita vomitum
 sola perficit, nullis substantibus, quae in
 os trahant, fibris. Ideoque facilius est devora-
 re aliquid, quam removere. Quae omnia si
 ita habent, quis dubitet, vomitum non posse
 citari absque valida, non ventriculi solum, sed
 & pectoris sediumque, quae juxta sunt, concus-

sione, eaque de causa stomacho invalidis, ac pectore gracilibus summopere (ut CELSO visum est) adversari, seu his alicujus vasis diruptionem, illis imbecillitatis incrementum minuantem. Non reclamant his HIPPOCRATES, sic inquit: *graciles, et ad vomendum faciles superne purgare convenit.* Nam is author biliosos hoc loco inaudit, non item eos, qui vel aliqua occasione extabuere, vel a prima origine temperamentum frigidum siccumque fortiti sunt. Ambobus enim his pectus macrum pressumque est, ut periculum sit non modo difficilem vomitum fore, sed etiam aliquod sanguineorum vasorum diruptum iri. Eos enim ut hoc aphorismo excluderet HIPPOCRATES illam adjecit ad graciles appendicem: *Et facile vomentes.* Tales vero sunt ante omnes biliosi, praecipueque quos *πιγνοχολες τὰ ἄσκα* appellamus, consumpti vero ac melancholici, minime. Ideoque HIPPOCRATES *) duos alios aphorismos eodem pene orationis contextu recte junxit. Ex his aliter sic habet: *obnoxios phthisi supra ne purgato.* Alter iste est: *melancholicos infra vehementius purgabis.* Nempe in his materia ad inferna magis fidit, quare eo etiam arte ducenda est. Ad-

*) Hipp. lib. 4. Aph. 8. 9.

haec temperamenti vitio gracile pectus rigidum arctumque natura ab initio finxit, adeo ut hos vomere cogere plane absurdum sit. At vero bilis propter lenitatem minimo negotio per os extunditur, unde fit, ut perquam erudite alibi CELSUS *) ita scripserit: *vomitus, ut in secunda quoque valetudine saepe necessarius biliosis est, sic etiam in his morbis, quos bilis concitavit.* Ineptiunt hic plerique neotericorum, cum inter natura graciles, & eos, qui vi morbi sunt tales, discernunt, illis vomitum utilem, his inutilem decernentes. Nae isti, me hercle, parum intelligunt, quam nihil intersit ad vomitus difficultatem, naturave quis gracilis factus sit, an morbo, modo semel gracilis sit. Eadem est, inquit GALENUS, providentia acquisiti affectus, & naturalis intemperiei. Itaque si propter ingeniti frigoris siccitatisque exuperantiam thorax ab ipso ortu naturae emacruit, aut tum quoque bonus, post tamen tabido affectu consumptus est, quae (te quaeso) res vomitum hic inidoneum, illic idoneum fecerit, substantibus utrobique causis, quae vomitioni adversantur, iisdem. Sed hoc est istorum acumen, qui hodie inter scriptores palmam affectant, quique

*) Cels. lib. 2. cap. 13.

nulla necessitate ambages secuti, emendicatis hinc illinc absque studio atque arte scriptis, magno conatu magnas nugae dicunt. Sed his valere iussis, ad rem redeamus. Peracta vomitione recte quies imperatur, cujus beneficio componantur turbati in corpore succi, afflictaeque inter ejiciendum particulae, ab egestisque oblaesae materiis refocillentur. Neque vero luxuriae causa vomere quotidianum habere convenit. Hoc namque robur ventriculi solvit, corpusque plus justo exinanit, ut nil mirum sit, eum, qui sic continuat, neque valere, neque senescere admodum posse.

Qui vomere post cibum volet, si ex facili facit, aquam tantum tepidam ante debet assumere; si difficiliter, aquae, vel salis, vel mellis paulum adjicere. At qui mane vomiturus est, ante bibere mulsum, vel hyssopum, aut esse radiculam debet, deinde aquam tepidam, ut supra scriptum est, bibere. Caetera, quae antiqui medici praeceperunt, stomachum omnia infestant.

Me-

Medicamenta ἐμετικά, id est, vomitum
 cientia pro actionis robore, atque infirmitate
 in triplici sunt differentia. Quaedam enim adeo
 blande leviterque solvunt, ut ventriculum, ac
 loca quae juxta sunt, quam minimum lacef-
 fant, cujus generis aqua tepida est, per se po-
 tui data, aut si quis ob vacuandae materiae
 lentorem aegrius vomat, quae particeps sit
 modici salis, seu mellis, ut tanto nimirum effi-
 acius affixas ventriculo sordes detergat. Ad
 hunc ordinem spectant hordei decoctum, ficus
 recentes, oleum crudum extremis digitis, aut
 penna in gulae caput demissum, ipsumque hau-
 stum hydroeleum. At secundae classis emeti-
 ca aliquanto his sunt potentiora, quapropter
 junioribus mediocria nominantur, ut quae mo-
 dum quendam in solvendo obtinent, neque ita
 sunt invalida, ut superius comprehensa, ne-
 que rursus ita violenta, ut quae postremo mox
 ordine sequentur. Ejus generis habentur radi-
 cula, atriplex, sive femina horum fumes, sive
 radices. Semen anethi, nasturtii, erucae, me-
 lonum, radix betonicae, & cucumeris fativi.
 Tertio ordini adscribuntur uterque elleborus,
 nux vomica, succus corticis sambucini, radix
 cucumeris agrestis, & hujusmodi, quae simul
 omnia actionis suae vehementia stomachum
 subvertunt. Proinde rectius CELSUS emeti-

P

corum, quae sanis usui esse possunt, duplicem ordinem proponit: primoque ea collocat, quae & mitia sunt, & facile vomentibus praebentur, qualis aqua tepida est tum sincera, tum mellis falisve pauxilli particeps; secundum autem ordinem ea tenent, quae potius mane vomituris conceduntur, ut radícula oxymelite sumpta, mulsum, decoctum hyssopi, et id genus alia permulta, quorum facultate humores tenacius ventriculo affixi dissecantur, abstergunturque, ut epota paulo post tepida, minore negotio exigantur. Id se comperisse in quodam ÆGINETA *) narrat, qui cum indies inappetentia ac nausea laboraret, ructuque insuper acido, atque praecordiorum inflatione (quia pituita in ventre coierat) assidue torqueretur: *sumpta (inquit) ex aceto mulso radícula, incredibilem vim ejus humoris evomit, atque ita protinus sanitatem recuperavit.* Porro quotquot praeter haec sunt emetica priscis illis medicinae authoribus usurpata (in quorum classe primas fere tenebat helleborus) omnia sanis fugienda, aegris non nisi per morborum maximas necessitates, & in aliorum defectu remediorum praebenda sunt. Eth enim magnas ea saepe vires ostendant in mor-

*) Paul Aegin. lib. 1.

bis longis, ac febre carentibus (sicut in epilepsia atque infania helleborus) suspectus tamen usus istorum omnium esse debet. Quemadmodum optime alias CELSUS dixit: *Ista non semper aegrotis prodesse, semper sanis nocere* *).

Post vomitum (si stomachus infirmus est) paulum cibi, sed hujus idonei gustandum, & aquae frigidae cyathi tres bibendi sunt. Si autem vomitus fauces exasperavit, qui vomuit, si mane id fecit, ambulare debet, tum ungi, deinde coenare. Si post coenam, postero die lavari, & in balneo sudare; hinc proximus cibus mediocris utilior est, isque esse debet cum pane hesterno, vino austero meraco, & carne assa, cibusque omnibus quam siccissimis. Qui vomere bis in mense vult, melius consulet, si biduo continuerit, quam si post quintum decimum diem vomuerit, nisi haec mora pectori gravitatem faciet.

Vomitum omnis, sive is sumpto pharmaco moveatur, sive sponte naturae erumpat, flo-

*) Cels. lib. 2. cap. 13.

machum semper plus minus convellit. Quare hoc finito studendum roborando ventriculo est. Itaque sumpto prius modico cibo (multus enim imbecillam facultatem superat) haurire gelidum fontem ad tres usque cyathos expedit. Unde laxatum ventriculi os roboretur. Cyathus juxta PALÆMONEM *) duodecima Sextarii pars est. Ipse sic scribit: *Sextarii cyathus pars est, quae est uncia librae.* Sextarius autem, qui octodecim unciarum capax est (etsi Romanis Authore GALENO, viginti contineat) duas cotyles seu heminas facit, quemadmodum idem inquit PALÆMON hoc metro: *At Cotyle Cyathos bis ternos una receptat.* Ex quo sequitur, ut tres cyathi, quia non nisi dimidiam implent cotylen, in totum pendeant uncias mensurales quatuor & semis, quod est acetabuli duplum. Sed definitis his, agendum de asperitate faucium est. Ea inter vomendum contrahitur ab acore pituitosi excrementi, fauces atque omnem gulam supra infraque in ipso transitu percellentis ulcerantisque, quae quidem affectio, etsi a bilioso quoque vomitu potest excitari, nequaquam tamen huius occasione in praesens fieri putanda est. Nam CELSUS de vomitu hic agit, qui ventriculo proprius

*) Palæmon Lib. de pond. & mens.

est, quique genitam in eo pituitam (naturale sibi excrementum) non bilem, ex alto corpore huc confluentem extundit. Huic sententiae medicamenta subscribunt, quae initio hujus de vomitu sermonis, ad expeditiorem materiae purgationem author proposuit, ut sunt hyssopus, radícula, mulsûm, & id genus calida remedia alia, tum incidentia, tum abstergentia. Sed & jam nunc finito vomitu meracum, carnem assam, cibosque omnes quam siccissimos imperat, quae tamen omnia post flavae bilis effusionem maxime fuerint aliena. Agedum igitur causam scrutemur, cur post hujusmodi vomitionem praescripta remedia conferant. Pituita omnis, quae quidem cocta subdulcisque est, nequaquam exasperare loca, quae contingit, solet, sed contra potius quae ulcerata sunt, lenire, laevigare, ac lento gratoque humore imbuere. Quum vero eadem haec parum probe cocta, acida falsave reddita est, tum certe gulam transiens facile exasperat. Ergo quae hanc vomitio induxit asperitatem, quoniam cruditatis soboles est, quid novi, si ea postulet auxilia quae concoctionem adjuvant? qualia sunt tum ambulatio, tum ante coenam (si quis mane vomuit) unctio, aut si vespere id a coena fecit, postridiana lavatio sudorque in balneo. Duo haec postrema cautius semper

administranda sunt, ne hinc, quae primis venis cruda inhaerescunt, liquentur, priusque in omnem corporis habitum ferantur, quam facta sunt per maturam concoctionem utilia. Itaque longe majore fiducia, calentibus undis corpus perluetur, evictis vaforum cruditatibus: id quod mane iis evenisse credibile est, qui hesternae coenae vomitu sublevati, tota post nocte probe dormierunt. Minus periculi per cruditates in ambulatione aut unctione est. Nam haec calorem insitum moderatius excitant, absque vehementi succorum turbatione, & in habitum raptu, quae profecto causa est, cur haec vel non interveniente somni beneficio, vesperi ante coenam ab eo recte tententur, qui mane vomit. Ut enim in hoc forte homine imperfectior etiamnum fuerit concoctio, quam in alio, qui per noctem dormivit, ita rursus rapiendorum in corpus crudorum minor subest occasio. Nimirum certa res est calentiore balneo validius succos permoveri, quam aut ambulatione, aut unctione.

Jam vero quod ad cibum a vomitu porrigendum attinet, scire licet, mediocrem illum esse oportere, nam multo languescens cruditate calor opprimitur, perpauco deficit. At hesternus cibus, caro assa, vinum austerum &

meracum, ejusque ordinis alia conducunt, quoniam ventriculi robur firmant (εὐσوماχία haec Graeci dicunt) frigiditatem minuunt, & excrementitium ejus humorem absumunt, his enim ille incommodis per crudas vomitiones urgetur. Sequitur posthaec de menstrui vomitus iteratione integer HIPPOCRATIS aphorismus, cujus interpretationem si quis requirit, ex GALENI in hunc locum commentario, si volet, petat. Illiberale enim esse arbitramur commentarios scribere more complurium neotericorum, quos non pudet veterum monumenta bona, tot inconditis paginis ad nauseam usquae male retexere, adeoque misere se studere, alieno potius fucō, quam propriis dotibus speciosos videri.

DE DEJECTIONIBUS.

Dejectio autem a medicamento quoque petenda est, ubi venter suppressus parum reddit, ex eoque inflammationes, caligines, capitis dolores, aliaque superioris partis mala increfcunt. Quid enim inter haec adjuvare possunt, quies & inedia, quae per illam maxime eveniunt. Qui

ejicere volet primum cibus vinisque utetur his quae hoc praestant, dehinc, si parum illa proficient, aloën sumat. Sed purgationes quoque, ut interdum necessariae sunt, sic ubi frequentes sunt, periculum afferunt. Assuescit enim non ali corpus, & ob hoc infirmum erit, cum omnibus morbis obnoxia maxime infirmitas sit.

Compressa diutius alvo dejectio nunquam non necessaria est, at non semper utilis, quae sumpto pharmaco quaeritur. Haec enim tum demum permessa est, cum aut praesentis aut imminentis symptomatis exigit necessitas. Tantae saepe hujus vacationis vis est, ut non sanitas tueri, non curari morbus absque ejus praesidio commode possit. Ostendit hoc naturae in condendis intestinis scopus, quando haec seu canales quosdam sentinaeque ejus ipsa fecit colluviei, quae a visceribus totoque venoso genere huc indies derivatur. Quod quidem facile in ipsis perspicere sanis est, in quibus bilis utriusque superflua propriis meatibus, tanquam ductibus, hac via foras una cum fecibus effluunt. Longeque idem apparet luculentius in aegris, quoties per singulas febrium accessiones, multoque magis per acutorum

morborum crises, natura antecedentis materiae
 spurcitiem venis exterminat, inque ventris ca-
 vum affatim effundit, unde ea mox vomitu de-
 jectioneve exigitur. Et quam igitur praeclaro
 beneficio ASCLEPIADES, cum haec ista prae-
 fidia sustulit, fanos privavit, quorum neglectus
 excrementa intus fovet, & spatio interposito
 gravissimis valetudinibus initia praebet. Jam
 vero si vel absque succorum labe venter obri-
 guit, ne tum quidem etiam absurdum fuerit
 commodo vel cibo, vel medicamine dejectio-
 nem moliri. Quippe concoctionis primae su-
 perflua aequo diutius intus morata penitus are-
 scunt, instarque lapidis durantur, transeunte
 paulo minus omni in mesareias chylo. Adde
 quod ab iis ad hunc modum inclusis, putrique
 calore accensis, acres effumationes ad cerebrum
 aspirant, unde protinus & capitis dolores &
 oculorum caligines, idque genus superioris par-
 tis mala possunt & fieri, & increfcere. Cumque
 haec alvi tarditas ἀναδόσεως robur, idque aut
 ob ineptam intestinorum formationem, aut ca-
 lidam intemperiem hepatis, renum, ac sedium,
 quae juxta sunt, ut plurimum sequatur, plane
 incidit, ut & sic affecta viscera, & durata al-
 vus mutuas inter se operas praebeant ad ma-
 lum, viscerum quidem intemperie madorem
 ventris partim attrahente, partim depascente,

Ipsis autem alvi fecibus memorata loca altiore intestinorum tumore prementibus, suoque veluti fotu magis magisque extorrentibus, ut nil mirum sit, quod CELSUS scripsit, suppressa alvo inflammationes increfcere. Sive autem inflammationes, ita ut nos intelligas hepatis, seu renum ardores (*φλογῶσεις* Graeci dicunt) seu proprie dictas *φλεγμοναίς*, id est, inflammationes, equidem non magni referre arbitror, nam pari ratione utrumlibet affectum adstricta alvus exasperat. Quid, inquit CELSUS, notans ASCLEPIADIS opinionem, adjuvare inter haec possunt quies, & inedia, quibus nimirum prisca illa simplicitas quoslibet extenuare se posse morbos vane sperabat, commodeque in hunc usum inventum a se esse Diatriton illam gloriabatur. Erat autem ejus dogmatis praecipuus author ASCLEPIADES, qui initio morborum tortoris vicem exhibebat, inedia, luce, vigilia, siti, cubantis vires convellens. Quasi vero haec ista propositos affectus, haud dicam juvent, sed non exasperent quoque: quando deficiente venas nutrimento, totus ab his chylus ad unguem exfugitur, siccataque excrementa, & propter inediam pauca intus cunctantur, sanguis omnis qui vasis superest, afflictaque intemperie viscera exuruntur, caephalalgiae ac caligines subeunte in caput bile inva-

lescunt, in summa, robur naturae confumitur, quo nil prius, nil antiquius cum alias semper, tum in viscerum internorum phlegmonis haberi unquam debet.

Sed ASCLEPIADE valere iusso, agendum auxilia scrutemur, queis tuto per secundam valetudinem alvus ducitur. Primum inquit CELSUS cibus vinisque utendum est his, quae hoc praestent, ἐκκοπρωτικά intelligit, ac ventrem mollientia, ea quae nullum peculiarem humorem venis eximere nata sunt, eaque duntaxat possunt, quae intestina ac vias, quas vocant communes, obsident, educere. Id vero praeceptum utinam hodie tam religiose ab omnibus observetur, quam est humano generi apprime salutare. Quid enim non designat perdita impostorum medicastrosum audacia, quid non & nobilium quorundam (si Diis placet) medicorum caeca confidentia tot tantisque purgationum machinamentis, non sine gravi cubantium clade, summaque artis medicae infamia, adeo ut vulgo jam olim dici coeperit: summam esse medicinam, non uti medicina, & beatum esse ventrem, quem illa nunquam intrarit. De sanis loquor, quibus citra vitii humoris redundantiam alvus comprimitur. Haec namque si supra modum semel

inaruit, quid commodius aut denique praestabilius, quam humidis lubricantibusque cibis ac poculis, squaloris hujus vitium auferre, ac sic fufam alvum facere. Nimirum ut facultati intestinorum retentrici siccitas vigorem addit, ita expultrici humiditas. Nempe hoc instituto intestina, quae feces tot impeditas anfractibus tardatura videbantur, sagax natura mucosum pituitoso intus illevit, ut ejus levitate fluxum oletum promptius ad anum properaret. At empiricis, quorum omnes spes opesque repositae in lucro medicinae purgantis sunt, supervacanea esse haec videtur observatio, ut qui tum demum mirum quam superbe gloriantur, si quam plurimum tum hujus mucosae pituitae, tum tenuis e venis saniei detraxerint. Nec vero intelligunt, effrenatis illis catharcticis, ut alvum quidem egregie solvi, ita benignos quoque venarum succos detrahi consueffe. Quippe medicamen iis destitutum humoribus, quos ad se trahere natum est, ipsa etiam sana (ut ait GALENUS *) invadit, sanguinem atque carnes eliquans. Jam ab hac praeclara scilicet dejectione, omnia tum in corpore magis siccantur, tum solito pertinacior ventris adstrictio succedit. Et ne hoc parum sit, hanc iidem

*) Gal. lib. 5. sanit.

boni viri secundo ducere validioribus medicamentis parant, quasi per priora parum profectum sit, sicque ex simplici malo geminum faciunt, & ut ait FLACCUS: *Dum vitant stulti vitia, in contraria currunt.* At fortuna tamen nonnunquam bona, imo ingenita naturae vis tyrannidem hanc omnem edomat, sic ut subinde secundae valetudinis initium, beneficio corporis, non medicinae fiat. Qua re protinus evenit, ut illi tortores fervere homines, cum non occiderint, videantur. Flagitiosi me hercle, impostores, quam nequitia perdit, cum non suis rebus frugi esse, non alienis didicerint, praestare in animum inducunt, per facinora incognitas artes agitare, quam inglorios aut inopes se vivere: tum dira potius crudelitate experimenta per mortes agere, quam salutis humanae praesidem artem per misericordiam didicisse. Invalidae ad haec sanguinaria capita fugillanda literae, invalidae (proh dolor) ad punienda leges, quorum sceleribus jacentem hodie videmus medicinam, tot nobis sudoribus, tot pulcherrimi temporis jacturis, tanto vigoris corporei, tanto rei haereditariae detrimento quaesitam. Beat illos multorum nece obfirmata temeritas; nostros dolores, & justitia querelae, & vindicis impia mansuetudo acerbiores facit. At valeant ista

nequissimorum hominum portenta, quorum error (si quidem non potius nefas, quam error dicendus est) ex causae pendet ignoratione, unde fisti ventrem contingit; estque haec inconsiderantia plerisque etiam celebrium medicorum frequens, quum sanos pariter atque aegros saepe, cum opus non est, purgationibus excarnificant, quique eo pervenerunt stoliditatis, ut non animadvertant, quo magis sic per purgare corpus student, eo minus pro sententia rem sibi omnem cedere. Nonnulli inquit **GALENUS** *) sumpto pharmaco in praesens gaudent, si copiosius defecerint: verum quanto magis sunt vacuati, tanto his venter frequentibus diebus magis adstringitur. Nempe id incommodi, ut idem author in iis effugeret quibus siccitatis occasione alvus nihil reddit, non validis catharticis, sed solo per inferiora infuso oleo alvum citabat. Eo enim (inquit) siccum excrementum madescit, & transitus efficitur lubricus, & intestinorum tunicae emolliuntur. Ergo ut **CELSI** quoque consilium non tantum **GALENI** sequamur, contractam alvum recte laxabimus, primum cibus ac poculis ad hoc idoneis, his quae simul & alant & ventrem molliant, cujus generis habentur pinguia

*) Gal. 5. sanit.

jufcula, atque olera, decoctum cicerum rubrorum, jus carnis, praefertim gallinaceae aut vervecinae, quae alias falsa esse, alias recens potest, ac modo quidem mellis, modo zacchari particeps.

His accedunt lac cum integrum, tum secreto caseo ferofum, perlocatus ptifanae cremor cum oleo & melle, primum brassicae decoctum, adjecto oleo vel butyro, vinumque dulce & crassum, in summa omnia (ut CELSUS alibi docet *) *tepida, pingua, elixa, jurulenta, falsa, diluta*. GALENUS praestantissimum ἐκκοπρωτικὸν parabat, ex beta, lente cum sale & garo. Ista vero omnia ut ventrem permoveant, paulo liberalius sumenda sunt, futura alioquin inefficacia, sic ut pleraque ad libram unam, alia ad sesquilibram, multa binis etiam libris sumere oporteat. Quod si per haec parum perficitur, tum utique (judice CELSO) veniendum ad aloën est, quae ut vires supra hepar non exerit, ita inter caetera purgantia sola est innocentissima. Quum enim alia cathartica stomachum semper plus minus labefactent, aloë adeo id non facit, ut hunc etiam (authore GALENO) corroboret. Ejus-

*) Cels. lib. 2. cap. 3.

que rei causa CELSUS alibi praecepit: *purgantibus omnibus aloën perpetue miscendam esse.* Jam vero si hic nihil quidem ex toto trahere corpore propositum est, at ventrem duntaxat aliqua ex causa tardiusculum provocare, quid optatius, quam iis id compleri catharticis, quorum vis non nisi ventrem attingit, aut si quid porro tendit, vasa tantum mesenterio intexta vellicat? Caeterum novisse hoc loco commodum est, pro vario ventris affectu aloë utendum esse alias lota, alias illota. Haec namque purgat magis, sed roborat ventriculum minus, illa contra. Quin etiam majore saepe cum fructu sumetur medicamen Dialoës, id est, ex aloë compositum, Graeci *λερόν πιχρόν* vocant, cujus author ipse sit GALENUS. Iterum moneo, hanc in sanis dejectionem non ita statam esse oportere, quin saepe ea quoque fiat utilis, quae asperioribus medicamentis tentatur *). Nam ut CELSUS proxime scripsit, & corporum & temporum ratio eam facere necessariam potest. Etenim si cacochymia succos venarum contaminavit, quae non victu curari, non exercitatione, non balneis, nedum inedia commode potest, quis quaeso adeo praefractus, aut denique ita stulte meticulosus, ut id non audeat purgante medicamento tentare, quod

*) Gal. 6. sanit.

aliis fieri posse remediis negatum est. Neque enim vehementi malo succurrere nisi aequae vehemens auxilium potest. Quid, sanguinisve redundantis luxuriam extenuare incisa vena licebit, ejus vero corruptelam pharmaco corrigere purgante non licebit? Quasi vero HIPPOCRATES, ejusque fidus interpret GALENUS, vernalibus horis sanos quoque non modo sanguinis onere incisa vena levare, sed perpurgare etiam dubitarint, quos propter multitudinem fusorum humorum anniversarii catarhi, arthritides, haemorrhoides, aut id genus similes morbi exercebant. Atque haec cum ad praesentis loci illustrationem, tum ASCLEPIADIS causa loquor, cui nihil ad sanitatem conducere purgationem placuit. Porro quod posthaec CELSUS de nimia dejectionis iteratione docet, quia ejus ipse rationem abunde explicat, altius hic repetere non satis causae putamus.

*DE HIS, QUÆ CALEFACIUNT, ET
REFRIGERANT CORPUS.*

Calefacit autem unctio, aqua salsa, magisque si calida est, omnia & salsa, amara, carnosa, si post cibum est, balneum,

Q

vinum austerum. Refrigerat in jejunio & balneum & somnus, nisi nimis longus est, & omnia acida, aqua quam frigidissima, oleum, si aquae misceatur.

Prosequitur jam CELSUS, quem prius instituerat ordinem, cum doceret, suam cuique naturam cognitam esse oportere, ut hanc vel calefacere, si nimium friget, vel si immodice calet, refrigerare tentaret. Itaque calefacientium tractationem jam nunc aggressus, primo loco unctionem ponit, quae duobus fere nominibus hanc vim adepta est; partim quoniam calente cum oleo quadamque corporis pertractione administratur, partim quia oblita pinguedine cute, calorem intus includit, quoque minus succi exhalet, impedit. Succedit aqua falsa, quae communi omnium falforum lege calefacit, id quod & amaris, & acris juxta commune est. Sequuntur carnosa, quae profecto non alio nomine calefaciunt, quam quod prae caeteris eduliis potentissime nutriant. Quid enim novum habeatur, calorem nobis insitum accessu nutrimenti augescere, quum & ignem magis ardere aggestis in eum lignis minime miremur? Nempe recens succus ex pleno cibo, eoque temperato vel paulo quid ca-

lidiore genitus, substantiam nativi caloris instaurat, affuso solidis partibus, in quibus ille totus inexistit, novo sanguine, ac spiritibus subinde vitalibus ex ejusdem sinceriore particula recuperatis, ut recte creditum veteribus sit, sanguinem esse naturae thesaurum. Neque vero haec ita accipias licet, quasi ex quovis cibo incrementum accedere calori putandum sit. Nam is contra a succo lactucae qui tamen nutriens est, manifeste minuitur. Proin alimentum egregie calefacturum ejus generis esse debere perhibemus, quod suapte natura calidum est, unaque multum sanguinem producit, qualis est animantium caro copioso sanguine praeditorum, haec enim (teste GALENO) omnia sunt calida. Ac tanta profecto carni in calefaciendo corpore vis est, ut ipsum quoque animum in evidentissimam pertrahat sympathiam. Si namque (ut GALENUS *) author est) animi mores temperaturam corporis imitantur, quid adeo mirum sit, homines a crebro carni esu, ut corpore magis calidos, sic animo ferocios reddi. Ostendit hoc Anthropophagorum ac gentium Lybiae effera saevities, quorum venter crudis hominum artibus & obscenis onagrorum, leonumque visceribus sagi-

*) Gal. lib. de mutua consecutione temp. & animi.

natur. Sane impulsus hac esse causa PYTHAGORAM existimo, quod tantopere carnes horruerit. Nimirum facile is tanta fretus sapientia perspexit, ex hoc genere victus mortalium animos efferari, ac nescio quid pecuniae atrocitatis induere. Itaque ut rude vulgus ab pecudum esu absterreret, haud inscite puto, finxit hominum in bestias metamorphosin post fata cujusque fieri, ejusque rei causa intactas, ac veluti sacras animantium carnes esse volens, sic apud NASONEM exclamat *). *Heu quantum scelus est in viscere viscera condi.* Sequitur nunc adhibitum a cibo balneum, quod cur calefaciat, disputatum superius abunde est. Succedit vinum austerum, quod tamen accipiendum non est, pro eo quod recentiores esse adstringens, & Graeci *σπλικόν* dicunt, hoc enim inter caetera vini genera minus calet. Forte rectius hic austerum intellexeris id vini, quod potentes habet vires, ab HIPPOCRATEQUE *ονώδες* **) id est vinosum appellatur, & *ὀλιγοφόρω* opponitur, natumque est & caput halitibus ferire, & corpus universum incendere. Quemadmodum sane austeri nomine vulgo id significatur, quod rigidum, immite atque asperum est. Hujusmodi vina potissimum colore

*) Ovid. 7. Meth.

**) Hipp. 3. de victu acut.

rubra, substantia crassiuscula sunt, quale e Gascconum patria ad nos importatur, quod Rheno albo minus urinam cit, & corpus totum magis inflammat.

En, celefacientium quidem ratio exposita est; nunc de his dicam, quae corpus refrigerant. Incipiam a balneo, quod in jejunio sit adhibitum. Id praeterquam, quod propter inanitatem venarum nullo nutritionis fructu solida afficit; ita ad insuper succi dissipat, quod subter cutem carnibus inhaerescens, nondum his sat probe coaluerat, sicque humoribus undique consumptis aequae frigus corpori dominatur, ac si quis incisa vena factus exanguis sit. Refrigerat praeterea jejunos & somnus, quatenus alimento probe jam pridem confecto, atque partibus unito, calor per quietem intus coërcitus, omniaque ibidem vacua offendens, naturalem solidorum madorem, non tantum venarum residuum sanguinem atterit consumitque, sed & idem hinc subinde calor intermoritur, privatus scilicet idoneo tum fomite, tum subjecto. Sanguis enim hunc reficit, solida continent. Optarim hic aliquanto fuisse oculatiores σχολιογράφος atque excudendorum voluminum castigatores, quos mendum orationis propositae subterfugit. Scilicet in omnibus,

quae videre licuit exemplaribus, pro eo, quod scribi de somno oportuit, si nimis longus est, supponitur, conversa in disjunctivam, conditionali. Quis enim nescit abs quovis immoderato somno, sive is famelicum, sive saturum tenet, corpus semper refrigerescere. Confirmat eam rem HIPPOCRATES *) sic inquit: *Gravis vigilia alimenta cruda reddit. At ea, quae in contrarium fit mutatio, corpus dissolvit*; Idemque author ibidem sic ait: *Somni, jejunium extenuant, humidum, quod inest, vacuantes*. Paria potest in jejunio & brevis somnus, sed minus quam longus efficaciter, proin ille a CELSO praeteritus, hic evidentioris energiae causa notatus fuit. Ut ne dicam etiam, raro jejunis ita vacuum corpus esse, quin lateat in vasis nescio quid nondum percocti humoris, quem perficere brevis somnus, super excoquere atque consumere longus solet. Quae post haec jam CELSUS refrigerantia recenset, pars eorum per se clara, pars superioribus in locis enarrata est. Unica superest aqua, quae sit, ut CELSUS loquitur, quam frigidissima. Haec talis esse respective dicitur ad caloris nostri vires, quas si illa robore superat & frigidissima esse, & corpus refrigerare haud perperam di-

*) Hipp. 2. vict. acut.

cetur. De aquae perfusione ac piscina loquor, quae etsi friget, non semper tamen nos totos refrigerat, quin saepe etiam ex accidente calefacit, facto caloris propter ejus augmentum ad extrema recursum, qui fieri recursus non nisi copioso calore intus dominante potest. Ergo senibus, convalescentibus, ac longa aegrotatione exhaustis, idque brumalibus potissimum horis, invalidum calorem occurrens frigida extinguit, tantum abest, ut intro compressum redire iterum in habitum cum auctario faciat. Ideoque in his non catarrhos ea levare, non tetanos, non podagram potest, sicque haec subinde, ut non usque refrigerat, sic istorum respectu corporum, quia nunquam calefacit, merito esse quam frigidissima dicetur.

*DE HIS, QUÆ HUMIDANT, ET
SICCANT.*

Humidum autem corpus efficit labor minor quam ex consuetudine, frequens balneum, cibus plenior, multa potio, post-haec ambulatio, & protinus cibus adjectus, ea genera escae, quae ex locis veniunt frigidis, & pluviis, & irriguis. Contra sic-

cant immodica exercitatio, fames, vigilia,
unctio sine aqua, calor. Sol immodicus,
frigida aqua, cibus exercitationi statim
subjectus, & is ipse ex siccis & aestuosis
locis veniens.

Hujus orationis series in exemplaribus ad
unum omnibus ita depravata est, ut hanc ne
ipse quidem author si viveret, esset agniturus;
sic enim aliorum habent codices.

Humidum autem corpus efficit labor ma-
jor quam ex consuetudine, frequens
balneum, cibus plenior, multa potio, post-
haec ambulatio, & vigilia, per se quoque
ambulatio multa & vehemens, & matuti-
na exercitatio, & non protinus cibus ad-
jectus, ea genera escae, quae veniunt ex
locis frigidis, & pluviis, & irriguis. Con-
tra siccit modica exercitatio, fames, unc-
tio sine aqua, calor. Sol modicus, frigi-
da aqua, cibus exercitationi statim sub-
jectus, & is ipse ex siccis & aestuosis lo-
cis veniens.

Sed quam iste orationis contextus sit infusus, & a sensu medico alienus, nemo adeo rudis est, quin intelligat. Quo minus neotericorum incurram reprehensionem, quod locum hunc ita pro lubito digesserim meo. Nempe hoc duntaxat ordine medicus est, ac CELSO dignus, POLYBIQUE *) verbis mutuatus videtur conformis. Porro de eorum, quae humectant aut siccant natura, pluribus agere non satis causae putamus, quatenus iisdem fere rebus aliquis humectatur, quibus impletur, ac siccescit, quibus extenuatur. De his tamen nonnulla dicenda sunt. Matutina exercitatio, ubi vehementior est, ob id siccare creditur, quod corpus (modo id jejunio vacuum sit) plus justo dissipet. Nam cum fructum nutritionis, attractis per motionem in habitum succis, membra sentire debeant, non solum eo ipsa frustrantur, sed proprium etiam humorem una cum affluente sanguine amittunt. Posthaec siccatur & cibus, longiore post exercitationem tempore sumptus. Etenim hac interposita mora, concidunt oscula venarum propter motionis vim ante hiantia, ideoque nec ita propere, nec aeque ubertim, ut alias escam trahunt. Nempe hoc instituto PAULUS quoque ÆGINE-

*) Polybus lib. 1. de vi&u Idiotarum.

TA*), iis, quos extenuare studet, *balneo jam egressis non protinus cibos offert, sed aliquanto post tempore.* Caeterum quod unctio sine aqua exsiccet, comparative scriptum est, ad eam, quae cum ea fit. Sicut enim nulla non unctio, quae communi cum oleo administratur, humectat, ita ea id demum facit efficacissime, quae adhibitam prius aquam intra habitum includit. Siccantibus adnumeratur, & frigidae lavatio, tum quia astringendo madorem carnis exprimit, tum quia cutem densando, calorem, spiritum, succos, necessaria naturae nutrientis adminicula, ab extremis intro violenter in profundum corporis contrudit, ex quo nil mirum est, habitum emarcescere.

*DE HIS, QUÆ ALVUM ADSTRINGUNT,
ET SOLVUNT.*

Alvum adstringit, labor, sedile, creta figularis corpori illita, cibus imminutus, & is ipse semel die assumptus ab eo, qui bis solet; exigua potio, neque adhibita, nisi cum eibi quis quantum assumpturus est, cepit; post cibum quies. Con-

*) Aegineta lib. 1. cap. 67.

tra solvit aucta ambulatio atque esca, post motus, qui post cibum est, subinde potiones cibo immixtae.

Ut corpus (teste HIPPOCRATE *) intus forisque transpirabile perviumque est, ita mutuus quoque liquorum est ex una corporis regione in aliam per omnia confluxus. Hujus occasione, omnium saepissime, alvus fisti in recte valentibus solet, translato scilicet in venas excrementorum ventris humido. Nempe inter naturales potentias retentrix & atractrix semper (authore GALENO **) robustiores sunt in aridioribus calidoribusque instrumentis, sive naturali qualitate, sive ascititia sint talia. De perfecte sanis loquor, ac nullo in visceribus insignis intemperiei, aut formationis vitio afflictis. Etenim quis nescit, alvos quoque posse contrahi alias a vehementi jecioris, aut renum ardore, ab intestinorum quoque vitio, cum naturaliter ea admodum aut sicca, aut hebetis sensus, aut in nimios intorta gyros sunt, quin etiam idem saepe poterit ab ipsius accidere biliarii meatus obstructione, aut prava in ventriculum insitione, nec raro etiam ab infirma musculorum, qui in septo transverso & abdomi-

*) Hipp. VI. Epid.

***) Gal. 6. sympt.

ne sunt, actione (nam ii quoque ad celeritatem dejectionis adjuvant) multisque aliis id genus causis, quae vitiosos corporum status sequuntur. At vero recte valentibus ab iis fere causis alvus adstringitur, quae ventris humiditatem partim consumere, partim digerere in venas natae sunt. In his principem locum tenet exercitatio, per quam accensis motionis organis, chylus in habitum corripitur, & toto undequaque accenso corpore absumitur. Caeterum, cur sedile ventrem retineat, superioribus locis demonstratum est. Idem facit creta figularis, seu terra Lemnia, adeo in adstringendo potens, ut sanguinem undecunque promanantem retineat, & quamvis aliam fluxionem compescat, sive foris illitum, sive intro in corpus sumptum; ejusque facultatis merito alvum comprimit. Jam quod a cibo imminuto tardus venter pigrescat, ipsa re patet. Vix enim hic ullo pondere excrementum intestina premit, quo fit, ut haec ipsa gravi saburra, seu stimulo carentia, sui que veluti muneris oblita, lente ad dejectionem levis oneris insurgant. Quod si ita est, quid miri, si simile quoque eveniat, a cibo semel per diem assumpto ab eo, qui bis solet. Sic enim praeter solitum, ut HIPPOCRATES *) loquitur, detumescit subsiditque

*) Hipp, 2, de vict. acut.

ventriculus, tum etiam κρεμάσθαι δυνέει τα σπλάγχνα, id est, viscera pendula esse videntur, correpto scilicet in venas omni chylo, ipsisque subinde fecibus minima mole residuis, ac lapidis instar siccatis. Quare recte GALENUM *) monere arbitror, tum demum pauciora, quam ex proportione multitudinis ciborum excrementa dejici, ubi plus ex ipsis transit in anadosin. Sequitur exigua potio, quae quia non sat madoris ferculis adjicit, dejectionem tardat, idque multo faciet efficacius, si non saepius (ut moris est) inter edendum iteretur, sed tota semel a cibo sumatur: sic enim osculo ventriculi innatans, nequaquam epulis tota totis miscetur, ideoque eas humectare quidem potis est. Novissimum eorum, quae alvum sistunt, quies a cibo est, qua fit, ut assumpta edulia nequaquam concussa supremo ventri inhaerescant, minusque propere ad imum sidant. Proximus nunc est eorum ordo quae alvum citant, in quibus est motus post cibum, adeo in hac re potens, ut graves interdum diarrhæas moveat. Porro aucta pariter ambulatio, atque cibus, potiones cibo immixtae, & id genus alia, cur alvum subducant, ex eorum patet consideratione, quae hanc co-

*) Gal. 6. Sympt.

gunt. Contrariorum enim ut sunt causae contrariae, ita doctrinae ratio eadem est.

Illud quoque scire oportet, quod ventrem vomitus solutum comprimit, compressum solvit. Itemque comprimit is vomitus, qui statim post cibum est, solvit is, qui tarde supervenit.

Vomitus ob id ventrem solutum comprimit, quod materias ad alvum inclinantes inferne sursum avertit. Nempe hujus ἀντισπάσεως causa vomitus ab HIPPOCRATE *), GALENOQUE in iis probatur morbis, qui inguina, renes, coxas, caeteraque ventris inferioris loca exercent. Optime enim materia quaeque revellitur, ubi alia parte prorumpens, alia emittitur. Quod praeceptum HIPPOCRATES hoc Aphorismo stabilivit: *Longo alvo profluvio laboranti, sponte vomitus superveniens morbum solvit.* Jam vero quod vicissim compressum ventrem vomitus moveat, ex concussione fit intestinorum, quorum facultas expultrix ad proprium munus hoc modo excitatur. Ea tamen haec omnia lege fiunt,

*) Hippocr. lib. 6. Aph. 15.

quod qui ventrem compressurus vomitus est, protinus a cibo cieri debeat, qui vero laxaturus, longo post tempore. Hic enim excrementa ad imum ventris jam ante demersa, agitatibus vomitione intestinis, per sedem seu proximum locum erumpunt, illic vero alimenta, priusquam pyloro exciderint, aut intestina majore pondere ad expulsionem sollicitaverint, supra per os egeruntur.

DE ÆTATUM VARIETATE.

Quod ad aetates vero pertinet: inediam facillime sustinent mediae aetates, minus juvenes, minime pueri, & senectute confecti. Quo minus fert facile quisque, eo saepius debet cibum assumere, maximeque eo eget, qui increfcit. Calida lavatio & pueris & senibus apta est. Vinum dilutius pueris, senibus meracius, neutri aetati, quae inflationes movent. Juvenum minus, quae assumant, & quomodo curentur, interest.

Fames sic oritur. Quum triplex nostri corporis substantia assidua nativi caloris actione

dissipetur, sagax, providaque rerum natura
 singulis particulis facultatem protinus ab initio
 contulit, qua defectum alimenti percipere,
 aliudque ex proximis unaquaque locis attra-
 here valeant. Ea vero facultas a penuriae
 sensu (modo is sensus dicendus sit) oritur, at-
 que naturalis appetentia vocatur, omnibus
 animantibus atque plantis juxta communis.
 Jam quia insensibilis haec corporis difflatio
 (Graeci ἀδηλων διαπνοήν appellant) extremas
 partes primo exhaurit, (proprioeres enim cuti
 per quam exhalatio fit, remotioresque a suc-
 corum officinis sunt) plane accidit, ut hae quo-
 que primae egestatis sensu perstringantur, qua-
 re alimentum e proximis locis trahere prope-
 rant, ac mox illae rursus ex sibi vicinis, hae-
 que deinceps ex aliis atque aliis, sicque dum
 undequaque raptò vivitur, fit, ut hoc celeri
 tractu vasa ad ventriculum pertinentia tandem
 exinaniantur, quae & ipsa tum quoque ejus
 visceris tunicas vellicare, atque exfugere inci-
 piunt. Atque molestus hic suctionis tractionis-
 que sensus ut primum os ventriculi, partem
 supra omnia sensibilem percelluerit, ipsa sta-
 tim oritur animalis appetentia, quam inedia,
 seu famem appellamus. Declarant haec longe
 evidentissime, quod praecipua omnis appeten-
 tiae causa ipsa sit corporis difflatio, quodque

haec a calore fiat innato, tum quod primariae
 causae energiam promoveat corporis ad di-
 lationem aptitudo. Ergo quicumque & mul-
 to naturae calore affluunt, & rara sunt molli-
 que corporis textura, ocysime inedia urgentur,
 pariterque hanc egerrime ferunt. Tales ap-
 prime sunt pueri, juxta illud HIPPOCRA-
 TIS *) *Qui crescunt, plurimum habent calidi
 innati, itaque plurimo egent alimento, alio-
 qui corpus consumitur.*

Porro discernere inter eos homines oportet,
 quam citius esuriunt, & quam ab inedia
 pejus afficiuntur. Etenim perinde non est, ne-
 que iisdem semper innectitur causis cito fames-
 cere, & cito a fame laedi. Pituitosi enim ce-
 lerrime cibum concupiscunt, quos tamen ine-
 dia adeo non offendit, ut magnopere etiam
 juvet corpore (ut ait GALENUS **) ex cru-
 dis, quos continet, succis alto. Rursus tum sto-
 macho, tum reliquo corpore biliosi, haud ita
 prompte quidem fament, cibo tamen non sine
 noxa diu carent. Adhaec senes tardius quidem
 esuriunt, inediam tamen impatienter ferunt,
 quatenus his, qui pauculus superest calor emo-
 ritur, nisi jugi modicaque alimonia, seu fomento

*) Hipp. lib. 1. Aph. 14.

**) Gal. 12. Meth.

sustentetur. Juxta illud HIPPOCRATIS *) :
*Senibus parum calidi innati inest, et ob id
 paucis egent fomentis:* Ubi tamen subintelli-
 gas, saepius quoque repetitis. Siquidem ipso-
 rum calor *ἀνάλογος* est cum imbecilla lampa-
 dis flamma, quae protinus interit, oleo aut
 iusto parcius, aut uberius idque confertim affu-
 so. In summa hos inedia maxime debilitat, qui
 ob corporeae texturae raritatem facile dissol-
 vuntur, ut pueri, quique temperamenti calidi
 occasione prompte inflammantur, ut juvenes, &
 qui propter naturae imbecillitatem celeriter
 deficiunt, ut senes. Haec intuenti omnia, qui
 quaeso obscurum sit, inediam, ut CELSUS do-
 cet, facillime a mediis sustineri aetatibus. Sub
 mediis aetatibus ipsos comprehendimus ado-
 lescentes, qui jam annum quintum & vicesi-
 mum, nondum tricesimum sextum excefferunt.
 Nempe hi praeterquam quod increfcere jam
 pridem desierunt, inter reliquarum aetatum
 homines plane sunt medii. Itaque longiore
 abstinentia non ita dissipantur, ut pueri, ne-
 que tantopere incenduntur ficcanturque quan-
 topere juvenes, neque tam facile elanguescunt,
 quam senes. Iterum moneo, haec ista de ine-
 diae noxa, non promptitudine intelligenda esse.

*) Hipp. lib. 1. Aph. 14.

Quod quidem senum ac juvenum causa lo-
 quor, quos inedia ut pessime excipit, sic tar-
 de premit: tum quoque ne pugnare CELSUS
 cum HIPPOCRATE *) videretur, qui sic ait:
*Senes facillime jejunium ferunt, secundo loco
 qui aetatem consistentem habent, minus ado-
 lescentes, omniumque minime pueri.* Enim-
 vero sic fit, ut quo quis duriore minusque dif-
 flabili corporis compage est, eo tardius cibum
 appetat, ideoque juxta praesentem HIPPO-
 CRATIS Aphorismum: *pueri citissime esu-
 riunt, atque his minus cito adolescentes,
 post quos multo quoque minus juvenes, om-
 niumque minime senes.* Maxime tamen se-
 cundum hunc CELSI locum inedia offendun-
 tur (cum pueris) senes, atque his minus ju-
 venes, minimeque omnium adolescentes. Sed
 obstrepent nobis, sat scio, Neoterici, illos
 dico, qui devotis animis quocumque jure, qua-
 cunque injuria in verba GALENI jurarunt,
 novam hanc esse interpretationem clamitantes,
 & a GALENI commentatione alienam. At
 hos primum rogo, aequi judices in re contro-
 versa ut sint, quod si non impetro, utique ni-
 hilo minore audacia illorum ego protervis op-
 pederō vocibus, quam ipsi cognitam oppugnant

*) Hipp. Lib. 1. Aph. 13.

veritatem. Ergo cur GALENI interpretatio in hunc, quem proxime retuli Aphorismum, minus arrideat, operae pretium est, compendio ostendere. Quoque id fiat commodius, praestiterit aetatum discrimina, seu alicujus hypotheseos loco, prius exponere, ut quid de quaque earum parte senserit cum CELSUS tum HIPPOCRATES, manifestum sit.

Ut mundi annique totius aetates quatuor, sic & hominum sunt. Prima est pueritia ab ipso ortu ad quintum fere & decimum annum porrecta, sub qua multo calido humidoque corpus affluit. Hanc excipit adolescentia, ubi jam pubes vestire inguina, & decorare faciem barba incipit, quam vitae particulam Graeci ἡβην & ἡλικίαν μετράκειων CELSUS mediam nominaverunt, estque GALENO iudice, omnium temperatissima. Tertia aetas juvenus est, latissime hac illac patens, diciturque Latinis constans, Graecis καθ'εσθηκία esse quoniam sub ea omne incrementum corporis sistitur. Dixi hujus aetatis spatia late porrigi, nam quae prima ejus pars intra quintum vigesimum annum, & trigessimum quintum includitur, viribus florentissima est, ac Martis Venerisque palaestrae aptissima, suntque in ea quos Graeci νεανίσκος vocant. Plus hi quam

adolescentes caloris : minus humiditatis ha-
 bent. Secunda pars, quæ ferè intra compre-
 hensum terminum prioris, & quadragesimum
 secundum annum est, viros profert, matu-
 ris consiliis, prudentiaque pollentes, Græci
ἀνδρίαν, nos ætatem virilem dicimus, estque
 exuperanter calens & sicca. Finis juventutis
 omnis *παρακμὴν*, id est, declinantem ætatem
 habet, ad quadragesimum nonum annum ex-
 tensam. In hac bilis atra dominatur, ea quam
 exuperans calor ex flava retorridam fecit, ac-
 ciditque hic, tabescente propter defectum
 humoris, calore, corpus refrigerare, siccum-
 que ac penitus senile fieri. Pessimo exem-
 plo, omnes prope dixerim Neoterici juven-
 tutem in complures diversi inter se generis par-
 tes distraxerunt, parum memores ejus ARI-
 STOTELICI: *τα τῶν μείζοντε καὶ ἥττον διαφέ-
 ροντα ἀλλήλων, εἶδος ἐκ μεταβάλλειν.* Nempe
 scisse hos oportuit, ætatum discrimina pro to-
 tius temperamenti demutatione, non spatiiis an-
 norum circumscribi oportere. Quis enim nes-
 cit, omnem juventutem calere, siccamque esse,
 tametsi prima ejus pars plus nativi caloris mi-
 nusque siccitatis, novissima hujus plus minus
 illius, quam media possidet. Quod si primam
 temperatam dices, adolescentia ea erit, non
 juvenus; si postremam frigidam siccamque

censebis, ipsa erit malorum plena senectus.
 Esto annorum curricula ætates, non tempera-
 menta corporum faciant, at cur ipsi quæso se-
 nectam itidem in sua non distraxerunt mem-
 bra, cur non alteri cuivis liceat longe plures,
 quam sex vitæ partes statuere, rerumque mul-
 titudine discentem obruere. Quippe est &
 pueritiæ sua infantia, est & adolescentiæ sua
 pubertas seu ephēbia. Juventa primum νεα-
 νισκῆς mox viros, postremo declinantes pro-
 fert. Quin senectus & ipsa quoque in totidem
 (ut mox audies) diducta partes, ætatum diffe-
 rentias in totum decem efficiet. Hæc vitæ
 spatiorum circumscriptio, non solum inartifi-
 ciosa, sed in ipsum quoque peccans HIPPO-
 CRATEM est. Nam ipse sic ea distraxit.
 Πέρροντες εὐφορώτατα νησένη φέρουσι δευτέρου οἱ
 κατῳσηκότες, ἤκιστα μεираκία πάντων δε μάλιστα
 παιδιὰ. Hunc virum seu Præceptorem haud
 pœnitendum cum alias fere semper, tum hic
 quoque rectissime secutus CELSUS, quatuor
 etates hominum, non plures numeravit. Su-
 perest ultimus vitæ terminus senectus, recta
 ad interitum via, propterque intemperiem cor-
 poris frigidam ac siccam, nec non ingravescen-
 tem naturæ imbecillitatem multis referta ama-

*) Hipp. lib. 1. Aph. 13.

ritudinibus. Ejus pars, quæ circiter annum quinquagesimum ultimæ copulatur juventuti, virens esse dicitur, obeundis etiamnum vitæ muniis par. Græci in hac constitutos ὠμογέροντες appellant, duratque hæc ipsis fere vis ad annum sexagesimum, cum jam deficere homines incipiunt, & corporis pariter atque animi officia concidere vitæ omnis catastrophe, decrepitos senioque confectos continet, Græci hos πεαπέλεις vocant. Incipit ab anno septuagesimo, duratque usque ultimum vitæ diem. Et sic quidem positis ætatum discriminibus, proximum est ad rem propositam redire.

Primum itaque non video cur HIPPOCRATES, ut GALENUS vult sub appellatione τῶν γερόντων magis ὠμογέροντες, id est, virentes senes, quam ἐσχατηγήρεις seu decrepitos inaudierit. Neque enim simile veri est, tanti nominis auctorem, vel tam male fuisse fedulum, ut discrimina, ita necessaria præterierit, vel adeo denique sui oblitum moris, ut particulam orationis aliquam non adjecerit, qua senectutis pars certa notaretur, quod quidem cum alias toties, tum evidentissime eo Aphorismo observavit,*) qui sic habet, Βράγχο

*) Lib. 2. Aph. 40.

καὶ κούζαι τοῖσι σφόδρα πρεσβύτησιν ἢ πεκπέγονται, id est : raucitates & destillationes, in valde senibus ad māturationem non perveniunt. Jam vero fac intellexerit HIPPOCRATES primos duntaxat senes, at quid porro causæ GALENUS juvenibus prætexat, cur hos clarissima voce HIPPOCRATES declararit facilius adolescentibus jejunium ferre. Quo errore vix scio an quicquam in Medicina magis pudendum, aut indignius HIPPOCRATE sit. Etenim certa res est, consistentes seu juvenes, ut sunt immodice calidi sicque, tardissime quidem famere: famem vero difficillime, hoc est, maxima cum offensa pati. Et quis verò jam non videt, quam parum circumspecte, ne dicam vere, in hunc Aphorismum illud dixerit GALENUS. Spectatur ejusmodi ferendæ inediae facilitas in non appetendo, nihilque inde noxae sentiendo. Ex contrariis æstimatur difficultas. Perstat igitur inconcussa cum CELSI tum HIPPOCRATIS, quam nos primi de fame dedimus interpretatio. Neque vero superflua est hæc ista HIPPOCRATIS tolerandæ inediae observatio, quæ ob id ab eodem authore mandata litteris est, ut constet cibandi tempora pro corporis necessitate, non semper famis promptitudine legi oportere. Quemadmodum enim cibo indigentibus, nunquam

non cibus est utilis, sic aliis hunc non aventibus dari, appetentibus negari sæpe expetit. Nam si ex cruditate adolescenti pituitoso morbus est, etsi desideratus, inutilis tamen datus cibus est. Si bilioso juveni ex labore ac vigilia febris est, ut certa ἀνορεξία, sic certum per ἀσπίαν periculum est. Hæc eum accurate & discernere oportet, quisquis erudite de fame differere volet.

Porro generale omnibus præceptum CELSUS proponit, ut inedia quo minus innoxie fert quisque, eo sæpius cibum assumat. Id vero sanis pariter atque ægris juxta commune est. Nam tanta hujus rei vis est, ut interdum etiam in medio febris impetu, etiam intempesta nocte cibum extorqueat, idque exitii metu, quod in propinquo esset, ni protinus ægrotis alimento subven- tum sit, videlicet duobus ex malis, quod magis urget, ad id dirigi curantis consilium debet. Tum quoniam cubantis vires fervare, nihil aliud quam ipsam fervare vitam est, sequitur ut nullo non tempore is qui deficit, sit sustinendus. Cæterum ætate incrementibus liberalior cibus apprime utilis est; quia copioso hi calore affluunt, rariore corporis sunt textura, & non solum nutritionis ut cæteræ ætates, sed & auctio- nis egent. Quibus nominibus calidæ quo-

que lotiones his sunt conducibiles, ut quæ humectato affatim corpore, præproperæ siccitatis periculum arcent. Nec inutiles quoque hæc senibus creduntur, tametsi alia ratione iis conferant quam incrementibus. Senes enim quoniam exuperanter sicci frigidique sunt, calidam lotionem, seu analepticum ac correctorium præsidium exigunt. Contrariis namque omnis cum alteratio tum sanatio perficitur. At incrementibus eadem hæc ut conservativa temperamenti convenit. Conservatio namque similibus qualitate ac tota substantia auxiliis completur. Unicam hic demas postremam senectam, cui lavacra minus sint idonea. Decrepitorum nempe corpora non solum parum colligunt humidi excrementi (cui exigendo dulces undae potissimum inserviunt) sed vires etiam possident infirmiores, quam ut balnei laxantis vim sint ferundo. Quapropter TELEPHUS ille Grammaticus ingravescente jam ad centesimum usque*) annum ætate, non nisi bis hyeme, quater æstate, ac ter vere, autumnoque in menses singulos lavabat, cæteris mortalibus ea tempestate indies lavare fuetis.

Atque his ita definitis, ad vinum accedamus, quod CELSUS inutile esse pueris scri-

*) Gal. 5. san.

bit, nisi sufficienti dilutum aqua sit. Græci ἰδατώδες appellant. Ea opinio maximis innixa rationibus est. Ut enim meracum immodicè tum consumit tum inflamat tenellum pueri corpus, ita dilutum contra hujus omnis ex- pers incommodi, efficaciter humectat. Sane constat PLATONEM adeo in pueris vinum horruisse, ut ejus usum ex toto ipsis circum- ciderit. Nempe si potens hic Bacchi liquor ipsi etiam virili animo seu improbus quidam Tyrannus imperat, quid non de pueris futu- rum speres, quorum tenella mens fragili illi- gata corpusculo, rebus quam minimis violatur. Idque sane Grammatici illius Romani puer evidenti testatus exemplo est, quem puerum GALENUS *) narrat, solus domi absente præ- ceptore cum esset, vehementius sitisse, cum- que deficiente aqua vinum pervetus a Gram- matico repositum liberalius hausisset, vigi- lem illico permanisse ac dein febricitasse, mox- que oborto delirio periisse. Ut vinum dilu- tum pueris, ita meracum utilius longævus est. Esse vero hoc ipsum oportet colore fulvum substantiaque tenue, ex quo triplex hic fruc- tus senibus obvenit; felicior nutritio, mem- brorum omnium calefactio; ac serosi excremen-

*) Gal. 2. Locorum a. 7.

ti per urinas expurgatio. Jam quod adstringens vinum est, quodque vehementer crassum, tum quod nigrum pariter ac dulce est, jecini, lienis, & renibus obstructionem inferunt, eaque de causa si liberalius sumuntur, hydro-pem atque calculum generant, ut hoc nomine senibus quoque futura perniciofa sint, quos senes nullum juvare aliud vinum potest, quam quod supra meracitatem sit etiam diureticum. Neque vero his ipsis tantum, sed & pueris vina nocent, quæ crassa sunt dulcia, nec per ætatem sat defæcata: Nimirum & flatus ista movent, & exiles vasorum meatus facile obstruunt. Quod jam omnium postremo CEL-SUS docet, minus juvenum interesse, quæ assumant, & quomodo curentur, ii facile concedent, quibus obscurum non est, naturam multo robore fultam nihil propemodum non posse, imbecillam parvis etiam ærumnis succumbere. Illa pollent magis adolescentes, ac juvenes, hac fluctuant ipsi senes. Pueris etsi natura per se non est invalida, quia tamen raro fluxoque comprehensa subjecto est, nihilo magis quam ea quæ senes regit, erroribus par est sustinendis.

Quibus juvenibus fluxit alvus, plerumque in senectute contrahitur, quibus in adolescentia fuit adstricta, sæpe in senectute solvitur. Melior est autem in juvene fusior, in sene adstrictior.

Integer hic est HIPPOCRATIS Aphorismus quem quia prolixo doctoque commentario GALENUS illustravit, non satis causæ putamus secundo exponere, ac multorum exemplo nulla necessitate ambages sequi. Quare ad ea quæ sequuntur, transeundum.

DE VARIETATE TEMPORUM.

Tempus quoque anni considerare oportet. Hyeme plus esse convenit, minus sed meracius bibere, multo pane uti, carne potius elixa, modice oleribus, semel die cibum capere, nisi si minus venter adstrictus est. Si prandet aliquis, utilius est exiguum aliquid, & ipsum siccum sine carne, sine potione sumere. Eo tempore anni calidis omnibus potius utendum est, vel

calorem moventibus. Venus tum non æque perniciofa est.

Spatia omnis temporis pro fyderum exortu & occafu Græci metiuntur. Veri enim initium fol Arietem attingens, finem ortæ Vergiliæ faciunt. Æftas hic incipiens apparente Arcturo finitur. Sequiturque ordine Autumnus, & post hunc anni fenectus Hyems; ille Vergiliarum occafu, hæc inde orfa Æquinoc-tio verno terminantur. Atque hæc temporum anni apud HIPPOCRATEM, DIOCLEM, atque GALENUM circumfcriptio est. At vero Arabs AVICENNAS in definiendis temporibus non astra, fed præfentem intuetur aeris tempeftatem, idque tempus Æftatem reputat, quod exuperanter calidum ficcumque est; id Hyemem, in quo his contraria dominantur; id Autumnum, quod ficcum & in altera qualitatum oppositione inconstans est; id denique Ver, quod inter caetera maxime attemperatum est. Sane hæc ifta AVICENNÆ computatio, etsi parum est aftronomica, non videtur tamen us quequaque rejicienda esse, nam omnibus ex æquo gentibus infervit, cum illa contra, quæ apud HIPPOCRATEM atque DIOCLEM est, non nifi Graecis atque eorum fynæcis esse usui poffit. Etenim frigidis re-

gionibus hyemes productioniores, aestates contractioniores sunt; calidis contra. Quin etiam ipse GALENUS profitetur, anni tempora ab aëris notari tempestatibus, non item a vocum nomenclatura. Juxtaque hanc rationem, non hyemem nobis occidentes facient Vergiliae, sed cœlum perseveranti humiditate ac frigore asperum. Tum igitur ut CELSUS praecipit plurimum esse convenit, quoniam innatus calor, ab ambientis qualitate in viscera fugatus, ibique multa sanguinis ac spirituum copia stipatus augetur. Comprobavit enim id HIPPOCRATES hoc Aphorismo: *) *Ventres hyeme ac vere natura calidissimi somnique longissimi sunt, quare per hæc tempora cibi copiosius sumendi.* Neque vero solius caloris ergo plus edendum hyeme est, sed etiam muniendorum viscerum causa, adversus saevientis brumae injurias. Calidis enim multisque epulis intus inclusis, ventriculus hepar, lienis caeteraque corporis penetralia in tuto sunt. Quod nec HIPPOCRATES **) in *Epidemiis* silentio praeteriit, sic inquit: *Cibus ac somnus visceribus conferunt.* Sed & POLYBUS ***) hyeme utendum suadet copioso siccoque alimento.

*) Hippocr. lib. 1. Aph. 15.

**) Hipp. VI. Epid.

***) Polyb. de victu Idiot.

Sic enim inquit: *præfrigido hoc tempore optima valetudine uteris, minusque rigebis.* Quae profecto causa est, quod non solum plus esse, sed & meracius bibere conveniat. Id enim nihilo segnius atque cibus ab externo frigore viscera tutatur. Jam quia corpus id temporis partim ambientis vi, partim voracitate hominum multa pituita oneratur, pocula parciora, ac multus panis utiliora sunt; illa enim minus adjiciunt humoris, hic potenter siccant, & valentis nutrimenti est.

Quoniam ad hunc locum perventum est, non abs re fuerit, panis omnes differentias enumerare, ut constet, qui maxime salubris, qui noxius sit. Ergo is paratur ex his frumentis quae panificia vocant, triticum dico, milium, hordeum, siliginem & hujusmodi. Siliginem voco non purissimam illam farinae particulam, quae demptis furfuribus superest, sed id frumenti genus quod vulgo *Robus*, Gallice *du Seigle* nominatur. Optimus panis ex tritico est, post hunc ex tota farina, quanta est pinxitur, estque omnibus pene familiis maxime frequens. Graecis *ἀντάν, πῦρος & συγκάϊσος* appellatus. Post hunc sequitur alius, cui bona furfuris pars non omnis detracta est, vulgo similaceus ac semidalis dicitur. Accedit tertium
ge-

genus, quod ex sola filigine conficitur secreto per cribrum furfure, unde & filigineus, & vulgo candidus appellatur. Novissimum locum is panis tenet, qui ex puro propemodum furfure pinfitur, detracta farinae paulo minus omni filigine, estque omnium vilissimus, dictusque ob id furfuraceus, ac cibarius. Atque hæc genera panum apud nos hodie omnia sunt in usu, quibus GALENUS quintum genus adjicit, quod ejus ætate ex polline frumenti tenuissimo, ad molae parietem adhaerescente indeque multis cum fordibus deterfo confiebat. His omnibus ita definitis, saluberrimum panem esse perhibemus, qui ex optimi tritici tota farina confectus, justamque fermenti ac salis portionem adeptus, ac prope subactus, moderato clibani aut furni calore percoquitur. Hic enim, non ita imbecilliter nutrire, ut furfuraceus, neque ita ægre ad alvum sidere, ut similaceus, neque adeo vehementer obstruere ut candidus solet. Postremum hunc non solum propria substantia, verum etiam apparatus obstruentem facit. Nempe pistorum *ἄζυμον* inflatum ac gustui (si Diis placet) suaviorem reddere studentes, loco fermenti ac salis, pessimo exemplo plurimum cerevisiariæ faecis massæ affundunt. Adde quod idem panis parum probe sit pistus, ex quo vis ejus obstruens auge-

S

tur. Quicumque enim panis (ut ait GALENUS) neque fermenti, neque falis justam portionem accepit, atque minus accurate coctus est, crassum efficit & glutinosum succum, qui obstructions in jecinore, liene, ac renibus parere solet. Atque hæc de panum differentia ac viribus dixisse abunde sit. Quod autem posthæc CELSUS de carnis elixæ per hyemem usu præcipit, id eo loco disputabitur ubi de aestate agetur.

Ventum est ad olera, quæ si ex frigidis, mollientibusque herbis, ut violis, spinachia, mercuriale, atriplice & similibus confiunt, parcius hyeme gustanda sunt. At vero non indonea primo cibo censentur, quæcunque in horto nascentia boni odoris vescaque sunt, quale est, cherefolium, hyssopus, betonica, apium, euphrasia, mentha, petroselinum, & si quæ his alia non imparia sunt, utique si falis quoque accesserit momentum. Tum enim non solum ferrosos humores per urinas pellunt, sed & lentam ventris pituitam, quæ id temporis maxime cumulat, dissecant, detergentque. Porro quod semel duntaxat hyeme cibari expedit, & difflationis facit exiguitas, & caloris nativi integritas. Recte tamen CELSUS addit, nisi si minus adstrictus venter est, Præstat

enim cibo saepius dato viribus subvenire, crebra dejectione periclitantibus. Caeterum qui versus septentriones incolunt & orientem solem, forte hanc per hyemem vescendi normam haud temere respuerint, tum quia pro ingenti caloris copia voraciores aliis nationibus sunt, tum quia exinanita semel eorum viscera frigentis auræ intemperie facile violantur. Prandendum igitur his quoque erit, idque siccum plane, ut CELSUS præcipit, ac sine multa potione, ad minuendum scilicet pituitæ proventum. Qua itidem de causa, tum quoque uti conveniet omnibus calidis, ut vino meraco, thermis, exercitatione, acribus medicamentis, & hujusmodi generibus aliis, quorum vis calefaciens partim propria in substantia vehitur, ut meraci, partim tota perpeffo aliquid ab iis corpori debetur, ut exercitationis, frictionis, quæ ob id CELSUS calorem moventia nominavit. Venus ideo per hyemem satis commoda est, quod corpus siccet, calefaciatque, idque postremum non vacuati feminis facit occasione (sic enim refrigeraret) sed propter contentionem illam, quam venus ciet omnium corporis artuum: quod quidem & effusi per id tempus sudores, & invalescens spiritus testantur. Ut recte dixerit in *Epidemiis**)

*) Hipp. VI. Epid.

HIPPOCRATES: *Venerem affectibus omnibus pituitosis opitulari.* Tametsi sæviente supra modum bruma, aut natura ex morbo plus iusto debili, recte GALENUS venerem damnet, ut quæ tum corpus facere magis frigidum, atque imbecille possit, non possit vegetum.

At vere paulum cibo demendum, adjiciendumque potioni, sed dilutius tamen bibendum est, magis carne utendum, magis oleribus, transeundum paulatim ad asina ab elixis. Venus eo tempore anni tutissima est.

Ver quoniam inter cætera anni tempora optime attemperatum est, rerum omnium in victu mediocritatem, quantum in se est, postulat; proin cibo hyberno, qui plenus admodum erat, demendum, ac potioni quæ pauca, adjiciendum est. Dixi, quantum in se est, corporum quorundam causa, quibus id temporis frugalior victus ratio conducibilis est, ad arcendum plethoræ discrimen, quod fusio humorum, qui per hyemem uberius cumulati quasi concreverant, minatur. Ejusque rei causa nonnulli non solum parcius esse, sed etiam

medicamento perpurgari, aut incisa vena sanguinis plenitate levari, primo vere debent, ne scilicet cum hoc praecipitat, aut certe æstas viget, febris, hæmorrhagia, pustulæ, catarrhus, pleuritis, angina, peripneumonia, aut alterius momentaneæ partis alia inflammatio valetudinem turbet. Tum enim (ut alibi *) CELSUS testatur) quæcunque humoris motu novantur, maxime in metu esse consuerunt. Quæ profecto res fidem facit, non pie solum, ut semper, verum etiam medice, vernali tempore institutum ab Ecclesiæ rectoribus jejunium fuisse, quo tempore (si unquam alias) moderata abstinentia plerisque omnibus conducit. Venturarum enim id sæpe remedium ægritudinum est. Tametsi non deesse scio, quibus ea victus ratio visa sit inutilis. Atque HIPPOCRATEM (si Diis placet) testem adducunt, qui ventres dixit hyeme ac vere magis calere, ideoque plenius esitandum id temporis esse. Quasi vero parum probe, id quoque nos intelligamus, nec ita, ut res est, putemus, tale veri convenire jejunium, quale neque nimietate calorem afflicteret, neque paucitate superfluis impar sit tollendis, ac proin suum quemque na-

*) Cels. lib. 2. cap. 1.

turæ æquum cenforem hic esse oportere, ne hac scilicet periclitante unquam quicquam jejunetur. Id namque non modo corpori inimicum, sed ipsi etiam ingratum Deo est. Jam vero si corpus per æstatem tot modis diffluens, inedia pessime tum accenditur, tum dissipatur: si per autumnum corruptelæ, ac pestilentibus morbis sit oportunum; si denique hyeme rigentis brumæ intemperantia intus forisque cito violatur, horumque malorum auctarium inanitio imbecillitasque naturæ est: quo tandem tempore jejunare fas erit, si non verno, quum supra comprehensa defunt incommoda, ac tanta ab hac evacuatione expectantur comoda? *Adventante (inquit ÆGINETA)*) vere, hic quidem vomitionibus, alius alvi ductionibus, alius sanguine misso vacuetur.* Quid, tantane admitteremus etiam sani remedia; inediam vero reformidabimus, quæ his omnibus, ut minus vehemens, ita magis tutum auxilium est. Nec vero illud nos movet sub inedia, ut nullum periculum, ita levius præsidium esse, nec posse vehementi malo, nisi æque vehemens auxilium succurrere. Quam vero iis, qui etiamnum valent, tam repentina, tamque effusa vacatione semper adeo sit opus, ac non sæpius

*) Ægineta lib. 1. cap. 53.

jejunio, exercitiis, balneis, & hujusmodi, quæ paulatim ac placide, quod naturæ superest, demant. Ipsum vero jejunium, aut quia non æque omnibus propter vitæ intemperantiam acceptum est, aut propter summam plethoræ syndromen parum efficax, nonnunquam misso per venam sanguine, pharmacove dato GALENUS pensavit saepisse (ubi copia humorum præcipiti vacabat discrimine) solum imperavit. Non attinebit ulteriore disputatione hujus loci probationem scrutari, si ipsum semel GALENUM*) luculentissimis verbis ita differentem audierimus: *Medio autem adhuc vere, magisque si aestatis initium in propinquo est, et pauca esse, et ex magno intervallo convenit. Siquidem videntur homines hac tempestate non longe a plethorica affectione abesse, propter fusionem humorum, qui proxima hyeme collecti ac densati fuerant. Hæc ille. At hos tandem refractarios mittamus, quorum voces inscitiae comes error extuderit, an invidia, incertum est.*

Porro quod CELSUS adjiciendum esse potioni docet, id hyemis respectu intelligas oportet. At dilutius bibendum recte præ-

*) Gal. Comm in lib. 1. Alph. 17.

cipit. Nam tum ut corpus attemperatius est, ita omni qualitatatum exsuperantia offenditur. Quemadmodum enim reliqua anni tempora, propter eminentem intemperiem contrarium victum exigunt, ita Ver contra, suæ temperiei similem, proin tum neque aquam bibere, ut aestate, neque meracum ut hyeme, sed vinum dilutum oportet. Caro autem assumenda est, propter nativi caloris, quod tum viget, robur, & succi, qui ex hac provenit, bonitatem. Illud jure aliquis mirabitur, ecquid CELSUS carnem, in qua plus valentis alimenti, quam in ullo alio est, veri potius accommodarit, quam hyemi. Neque enim piscium, ut quidam autumant, respectu, sed hyemis loquitur. Nam si non hyemis, cujus tandem rei intuitu, magis oleibus, magis potione, magisque ea diluta utendum scriberet? Ergo hic aut aliquis latet error, aut carnem animalium cicurum & recentium, quæ natura humidior est, CELSUS cogitavit. Nempe quæ ferarum est, quæque salibus durata, quoniam potenter siccat, & concoctioni rebellior est, hyemi profecto convenientior censetur.

Ventum est ad venerem, quæ si unquam, alias, certe vernantibus naturæ rebus, longe est saluberrima. Tum namque uberius feminis

proventus est, & corpus multo nativi calore robore pollet, & ipsum denique tempus moderatum, placidumque est, sic ut corpus venericis caloribus relaxatum, neque subito frigore excipiat, ut hyems, neque plus iusto dissipet, ut æstas, neque vero debilitet, ut autumnus. Sane hujus temporis commoditatem natura quoque brutorum ostendit, quæ verno tempore, magis tum coitum appetere, tum foeta esse, consueverunt.

*DE DIÆTA CIBORUM POTIONUM-
QUE.*

Æstate vero & potione, & cibo corpus sæpius eget. Ideo prandere quoque commodum est. Eo tempore aptissima sunt, & caro, & olus, potio quam dilutissima, ut & sitim tollat, nec corpus incendat. Frigida lavatio, caro assa, frigidi cibi, vel qui refrigerent. Ut sæpius autem cibo utendum, sic exiguo est.

Aestatis temperatura calida admodum est & sicca, quare hac tempestate ab ambiente & corpus valide resolvitur, & innatus calor foras dispersus labefactatur. Quoniam autem

multæ diffationis causa copioso quidem nutrimento corpus eget, infirmus vero calor, non nisi pauca conficit, necessum est, ut cibus & sæpe, & exiguis portionibus assumatur. Quæ causa est, quare non solum prandere, ut **CELSUS** monet, sed forte etiam jentare conveniat. Haud enim aliter quam biliosam naturam inedia pessime afficit. Ita eadem ipsa quoque id anni tempus maxime respuit, quod humorem adjicit biliosum. Ac sic de æstivi cibi quantitate sentiendum est. Qualitas autem ad frigidum & humidum inclinare debet, quo corporis retundat ab aëre contractam intemperiem. Cujus rei causa potio quam dilutissima, tum quoque commodior est, ut quæ sitim pellit, & corporis ardores mitigat. Durum videatur, quod de carnis multo esu scribitur; nam superioribus locis demonstratum est, carnosam ante omnia pene ciborum genera, ut plus alere, ita magis quoque calefacere. Forte offerenda caro est amplioris nutritionis gratia, cujus maxima per æstatem necessitas est, ac si quod sit nimie calefactionis, a carne periculum, id frigidis oleribus, id dilutissima potione minuatur. Aut hoc sensu locus hic intelligendus, aut mendo obnoxius est, quod quidem ita esse, non levis ex eo conjectura est, quod uno loco bis carnis author memine-

rit. Olerum per aestatem maxima vis est, five ea ex frigidis mollientibus, five ex acribus diureticis parabuntur: Haec enim superfluam bilem per urinas exigunt, illa hujus acrimoniam refrigerio minuunt, alvum movent, & corpus humectant. Per hoc tempus frigidae quoque lavatio multis nominibus confert, nam infracto calore extraneo, nativi integritatem tutatur; adhaec corporis difflationem, quae tum effusissima est, cohibet, pulsus intro succis, cuteque foris densata; ut ne dicam quoque, nullam corpori vim a frigidis undis inferri carnibus, undequaue omnibus per ambientem calefactis, ac sic crudam, frigidam, ne interna violet, prius edomantibus.

Ventum est ad carnem assam, quae an per aestatem praestet elixae, in controversiam venisse apud multos video; habetque suos utraque opinio haud spernendos authores. Ex his multi sic sentiunt, ut similia semper similibus conservantur, ita corpora, quae rebus incoquuntur humidis, fidelius nativam custodire humiditatem, ac proin assas carnes, dum aestas est, elixis seu humentioribus, posthabendas esse. Nituntur hi autoritate duorum medicinae columinum HIPPOCRATIS, atque GALENI, quorum uterque uno ore assa hye-

mi, elixa aetati obsonia dicavit. Refragantur istis ARISTOTELES, ac CELSUS, hic Romanorum medicorum, ille Græciæ philosophorum facile princeps. Eorum hæc fuit sententia. Quoniam assatarum carniū superficies omnis ab objectis prunis densatur, factaque per unctionem eschara clauditur, ob id naturalem, his succum intus includi, neque per duratos violentiori igne musculos transmitti posse, eoque protinus fieri, ut multo elixis sint humidiores, quibus omnis pene humor in aqua perit, ascisciturque novus, qui ignavus plane, nec coctæ substantiæ proprius est. Utrius vero partis sententia probabilior sit, nec facile, nec tutum dicere est. Cui enim unquam dubia fuit istorum virorum authoritas, cui rursus non perspecta tot hodie rabularum prona ad cavillandum malevolentia. Libuerit tamen vel candidi lectoris gratia meam hic opinionem interponere, idque juris mihi poscere, quod omnibus dari æquum est, scrutandæ sine ambitione veritatis studio, recta dicenti fidem, erranti veniam deberi.

Ergo totus & mente & animo in majestatem CELSI atque ARISTOT. intentus, non video, neque cur hos damnem, neque quid roboris opinioni adferam HIPPOC. atque GALENI, qui-

bus argumentorum penuria, undique laborantibus, unica hæc superest ad evadendum via, ut si forte carnes elixas, ac jurulentas pro eodem habuerint. Jurulentas nostri passim nominant, quæ pingui obrutæ jure supra prunas, diu multumque infervent, elixas vero, quæ sumuntur sine jure, sine pinguedine penitus, ut coctæ in aqua sunt sinceræ, decocto in offas prima mensa infumpto; jurulentæ humidiores, elixæ ficciores sunt, illae plus, hae minus alunt. Ista autem carniū discrimina apud CELSUM quoque, lib. 1. cap. 18. invenio in hunc modum scripta. Tum res eadem magis alit jurulenta, quam assa, magis assa quam elixa. Et quidem potest istorum virorum aetate, carnis jurulentæ Graecis, elixæ Romanis usus fuisse. Sed hic praetextus forte non omnibus fecerit satis, qui de hac re controversiam movent. Itaque contra CELSI adversarios prima haec constituatur machina, cujus vel ipse fabricator GALENUS est: nullum eorum corporum, quae elixantur, proprium humorem retinere posse. Quod si verum est, sequitur, imbecillas humectandi vires elixis carnibus naturaliter esse. Ista vero omnia sic accidunt. Quoniam aqua subjectis ignibus fervens in omnem sese carnis partem transmittit, protinus rarefacit, resolvitque na-

tivam ejus humiditatem. Subit vero in vacuata carnis spatia novus mador ab ipsa, quacum decoquitur aqua, ascitus, qui quidem diluere utcunque solida potest, at vera implere humiditate non potest.

Ceterum assae carnes nequaquam his subjacent incommodis: nam arcte fideliterque propriae substantiae madorem servant, adstricta per ustulationem superficiei, quo fit, ut cum intro fumuntur, ab his plenius quam elixis corpus madescat. Quid enim efficacius, quid felicius, siccitate attrita solida humectet, quam quod nutriendo id facit. Nimirum si humiditas illa naturalis solidis partibus, seu ros quidam circumfusus admodum aestate perit, hanc vero corpori iterum inferere sine nutrimento non est, quis dubitet per haec tempora, iis potissimum opus esse cibis, qui absque vehementi calore vehementes ad solida genuino humore reficienda vires possident? Humectat corpus frigidae poculum, humectat unctio, humectant & potabilium aquarum balneae; at non perinde feliciter, ut ova aut gallinaceorum testiculi. Illa ignavum partibus humorem affundunt, quo utcunque cavent, ne propere corpus siccescat, haec cum id praesent quoque, tum ejus insuper quod siccitate obtritum est, substantiam eximie resar-

ciunt. Hanc opem æstivis mensibus maxime requirimus, quum corpus non tantum arefcit, sed immodice etiam dissipatur. Jam vero quanto præstabilius est, siccitatem tardari restituto humido, quam hoc vix adaucta, ne nimium ejus in posterum pereat, duntaxat caveri, tanto utique optabiliorem carniū assarum humiditatem, ea quæ ab elixis venit, credendum est. Quippe suus elixis pene omnis humor perit, in coctam una cum ipsis aquam depositus. Cujus pars superficiei aquæ superinnatat, offis & oleribus parandis dicata, pars in totam decoctæ aquæ substantiam extensa est, cujus occasione jus carnis elixæ tantopere nutriens est. At hic iste humor in assis fervatur. Ideoque medici ex eo analepticum auxilium convalescentibus parare volentes, carnem ab igne etiamnum calentem cultello profundis ictibus infecant, ac mox late circumdatis, si opus est, ferramentis pressant, inter quæ protinus roscidus ille liquor ubertim emanat, salutiferum extenuatis futurum remedium. Neque vero his repugnat, quod in anasarca, assatis, in febribus acutis magis elixis utamur. Non enim in his tam nutritionem, quam morbosæ qualitatis alterationem spectamus, adeoque sine aliquo naturæ rictu sub usu alimenti maximam medicamenti potentiam experimur.

Non ita obnixe pugnandum contrariis in homine sano est, cui ut æstas functiones nondum vehementer debilitavit, ita calefactionis siccationisque, si quod initium assa dederint, id frigidæ aquæ potu, id frigidis oleribus adimitur. Ipsa vero in anasarca assis utimur, seu minus quam elixa ignavi aquosique humoris adeptis, qui humor in hoc genere morbi affluentibus est. Repetam id, quod ante argumentis, & ratione, & sensu stabilitis ostendi, cum ad hujus rei faciendam fidem, tum ad totius disputationis conclusionem: elixas carnes ascititio humore plus humectare, assas ingenito, his majores vires ad nutritionem, illis ad alterationem obtigisse.

AUTUMNALIS DIÆTA.

Per Autumnum propter cœli varietatem periculum maximum est. Itaque neque sine veste, neque sine calceamentis prodire oportet, præcipueque diebus frigidioribus, neque sub divo, nocte dormire, aut certe bene operiri. Cibo vero jam paulo pleniore uti licet; minus, sed meracius bibere. Poma nocere quidam putant, quæ immodice toto die plerumque sic af-

sumuntur, ne quid ex densiore cibo remittatur. Ita non hæc, sed consummatio omnium nocet. Ex quibus in nullo tamen minus, quam in his noxæ est. Sed his uti non sæpius, quam alio cibo convenit. Denique aliquid densiori cibo, cum hic accedit, necessarium est demi.

Autumnus natura ficcus est, at in caliditate, & frigiditate varius. Nempe unus sæpe dies calet, alter friget, interdum eadem quoque die meridies æstuosus, aurora, nox, vespere frigore asperrima sunt. Inordinata hæc tempestatum varietas autumnum maxime formidabilem facit. Nam modo calorem perpeffi humores, modo frigus, parvo subinde momento vitiantur, ex quo Epidemiæ grassari in populum solent. Omnibus enim id periculi juxta commune est, quatenus uno omnes cœlo regimur. Proin recte observavit HIPPOCRATES:*) *Ubi eodem die modo calor, modo frigus urget, autumnales morbos in propinquo esse.* Aliud per hæc tempora incommodum est, quod CELSUS secundo libro adnotavit, cum corpus & præterita æstate, & subinde meridianis

*) Hipp. lib. 1. Aph. 14.

autumni caloribus relaxatum, subito frigore excipitur; eaque de causa cum HIPPOCRATE, nostroque hoc Authore autumnum perhibemus periculosum, ac morbis exitiosis obnoxium. Is enim fere diutinis malis fatigatos interimit, aliosque novis morbis ac diuturnis implicat, sic ut tracta sæpe universa hyeme vix ultimo tandem vere sanescant, quod cum aliis in morbis fortuitum, tum fere perpetuum autumnali quartanae est. Ergo ut inæqualis hæc aëris noxa levior fiat, CELSUS cavet, ne quis sine veste, sine calceamentis prodeat, aut noctu sub Jove quiescat. Adjicitur autumnalis auræ periculo multus pomorum usus, quæ Græci *ἐπιώρας & καρπῆς ὥραις*, nos fructus fugaces, seu temporarios appellamus. Hos intemperantius edisse, gravis interdum valetudinis initium facit. Id quod in se ipse comperisse GALENUS scribit: qui cum nondum puberem aetatem egressus, horaeis fructibus inter suos aequales præter modum vesceretur, & quotannis fere ob id febricula aliqua conflictaretur, non ante se rectius valuisse refert: quam defuncto patre, jam tum per aetatem plus sapiens, solitam victus rationem mutasset.

Illud tamen imprimis novisse oportet, non ita poma (ut ÆGINETA existimat) per-

petuo nocere, quin sæpius sint quoque extra noxam. Sunt enim ex his permulta saporis gustusque nomine naturæ gratissima, facillimique horum succus: (substantia enim tota fere alvo subtus exit) a ventriculo ac venis concoquitur. Unicum id incommodum est, quod eorum qui per se sæpe innoxius succus est, interdum vel propter nimium luxum, vel ei, cui non expedit ventriculo ingestus, nocens reddatur. Sanguinem enim aquosum, tenuemque, ut ipse est, facit, qui sanguis, quia cito alteratur, citæ quoque corruptioni opportunus est, ideoque ardentiori exceptus ventriculo biliscit, frigido coacescit. Æque profecto ut lac in calido siccoque ventre biliosum, in pituitoso acidum redditur, non quia tale ante sumpcionem fuit, sed quia abs quavis vehementiore qualitate promptissime demutatur, adeo ut hac de causa GALENUS omnes uno ordine fructus autumnales habuerit, succi pravitatem ipsis tribuens. Tametsi quae poma impense sunt acida, ut frigidos oblaedere semper, ita nunquam calidis nocere deprehensum est. Hic enim sapor caloris vires spernit, imo superat quoque, & ob id sole, aut feбри exaestuantibus ardores minuit, ac sitim levat. Quæ vero poma ἀποία quaeque mitia, aut inter haec media sunt, omnia narratis incommodis subja-

cent. Nam quod ab his nutrimentum corpori accedit, cum sit humectum, atque subtile, prompte in calido ventriculo vitiatur, concurrentibus ambabus corruptelæ omnis causis, calore scilicet, & humiditate, unaque etiam ἐξ ἐπιμέτρως accedente totius substantiæ ad patiendum proclivitate. Sic enim humida calore incensa celerius putrescunt. Ideoque recte **GALENUS** dixit, horaeos fructus, si in ventre corrumpuntur, similes fieri lethalibus venenis. Poma igitur nocentia, non sua natura, sed hominum abusus facit, qui hæc reclamante corporis natura ingerunt, aut ea etiam assentiente, toto die sic assumunt, ut nil ex densiore cibo remittatur. Vi enim omnibus his superandis abunde esse natura potest. Sed & solitus cibus, quia tarde vincitur, pomorum autem succus hoc longe promptius, protinus fit, ut vel immoderatus, vel prae-postero quoque ordine sumpta, ex facili ambo simul corrumpantur, nihilo fane minus, quam si quis intemperantius lac cum suilla, aut pisces (ut Germanorum mos est) cum bnbulla, eadem sumere mensa sustineat. Ergo sic victantibus poma non per se, sed (ut diserte **CELSUS** scripsit) consummatio omnium nocet, ferculorum scilicet ac fructuum. Hæc ista

intuenti, manifestum est, sic vesci pomis quemque oportere, ne ad hæc sæpius, quam ad alium cibum feratur, tum ne, dum iis vesci in animo est, solitam alterius cibi portionem retineat. Huc addas, quod proximo ante hoc capite CELSUS admonuit, poma melius semper primo cibo assumi: nam post sumpta coalescunt, flatus movent, & cibos corrumpunt. Tametsi non ignoramus, si quæ valde adstringentia sunt, ea modice gustata remotis mensis utilia esse ad cogendum roborandumque ventriculi osculum. Atque hæc de pomis sufficiant. Reliquum est, quæ cibi mensura autumno conveniat, proponere. Hæc duabus fere de causis plenior esse debet, primo quod calor proxima æstate affatim dispersus, remittente se jam aëris fervore, paulatim ad interna repere, atque ibidem fumere vires incipit, ideoque cibum magis tum exigit, tum coquit. Secunda causa, eaque præcipua est, incipiens quaedam humorum corruptela ab tempestatum inæqualitate genita, quæ nisi novo sæpius chymo contemperetur, protinus in evidentissimum putredinis vitium excrescit. Recte eamque GALENUS sic affectis humoribus alternatim modo labem purgatione demit, modo novum ac probum nutrimentum affundit, estque hæc ab eo curandi ratio ἐπίκρσις ἀρ-

pellata. Nec pugnat illud HIPPOCRATIS*): *Impura corpora, quo magis nutries; eo magis laedes.* Nam istud proditum est de exacta cacochymia, quæ purgationem, non attemperationem postulat. Minus hic, sed meracius bibendum est, comparatione æstatis, quia minus autumnus corpora tum calefacit, tum ficcat.

Neque æstate, neque autumnus utilis venus est. Tolerabilior tamen per autumnum. Æstate vero in totum, si fieri potest, abstinendum.

Venus id temporis, & salubris & tuta maxime censetur, quum propter caloris integritatem vires optime constant, ac semen abundat, eaque cœli temperies est, quæ laxatis hac contentione corporibus, nullum vel dissipationis, aut refractionis periculum minetur. Ergo per æstatem tribus de causis venus nocet, nam tum & imbecillus calor est, & vehementius corpora diffluunt, ac tertio parcissimus genituræ proventus est. Et quis jam igitur dubitet, concubitu, cum æstas est, in totum, si fieri potest, abstinendum. Idem con-

*) Hipp. Lib. 2. Aph. 10.

cubitus autumnno : etſi non perinde gravis, ſemper tamen inutilis eſt, tum quia aër corpus arefecit, tum quia calorem ingenitum nubium inconſtantia debilitavit.

C A P U T IV.

*De his, qui aliqua parte corporis laborant,
ac primum de his, quibus caput infirmum eſt,*

Proximum eſt, ut de his dicam, qui partes aliquas corporis imbecillas habent. Cui caput infirmum eſt, is ſi bene concoxerit, leviter perfricare id mane manibus ſuis debet, nunquam id, ſi fieri poteſt, veſte velare, aut ad cutem tonderi, utileque lunam vitare, maximeque ante ipſum lunæ, ſolisque concurſum, ſed nuſquam poſt cibum progredi. Si cui capilli ſunt, eos quotidie pectere, multum ambulare, ſed ſi licet, ſub tecto, neque in ſole, ubique

autem vitare solis ardorem, maximeque post cibum & vinum; potius ungi quam lavari, nunquam ad flammam ungi, interdum ad prunam. Si in balneum venit, sub veste primum paulum in tepidario insudare, ibi ungi, tum transire in calidarium; ubi sudabit, in solium non descendere, sed multa calida aqua per caput se totum perfundere, tum tepida uti, deinde frigida, diutiusque ea caput, quam cæteras partes perfundere, deinde id aliquamdiu perfricare, novissime detergere & ungere.

Hactenus **CELSUS** eas affectiones posuit, quae in totis consistere videntur corporibus, seu illæ intemperiei, seu indecentis habitus vitia essent. Nunc vero prophylaxim aggreditur, quæ cuique privatim membro, si id imbecillum est, debetur. Ex membris alias unicum, alias plura simul imbecilla sunt. Difficilis noxa est, ubi partes alicui trium vitæ principiorum famulantes intemperatae sunt. Difficilior, ubi ipsa principia contrario inter se temperamento dissident; veluti cum caput friget, hepar calet. Nihil hoc levius malum est, si non bene ventriculo cum hepate ac renibus convenit. Po-

strema haec ad calores, ille ad contraria pro-
 clivis est. Aliorum frigidus venter bile affligi-
 tur, aliorum calidus pituita. Qui sic afficiun-
 tur homines, maxime, authore GALENO*)
 valetudinarii sunt, adeo, ut si vel ipsum his
 praefeceris ÆSCULAPIUM, noxam tamen
 vix ulla arte studioque effugiant, neque ad-
 modum esse vitales possint, aut certe, si for-
 te senectam attingant, perpetua invalidudine
 fluctuent. Nimirum sic fere accidit, ut quae uni
 parti conveniens medela est, ea protinus alte-
 ri pernicies sit, ut nescias alterutri succurrere,
 nisi alteram laedas. Nam quæ jecinoris ardo-
 res abolent, ea frigidum ventrem in ipso tran-
 situ violant, quaeque rursus huic medentur, ea
 jecinoris intemperantiam exaugent. Eadem
 incommoda sunt, si acris ex calido capite fa-
 nies in ventrem defluat, aut ex hoc rursus
 crassus crudusque halitus in illud tendat. Inde
 enim in capite superflua coeunt, in ventriculo
 concoctio subvertitur, utrobique pars vehe-
 menter debilitatur. Nempe hepate (si voles)
 immodice calido, ventriculo autem frigente,
 neutrobique fieri optata concoctio potest. Ven-
 triculo enim ante tempus alimentum eripitur.
 Hepar imperfectum id, ac probo faciundo san-

*) Gal. 4. fan.

guini ineptum attrahit. Inde adeo longo jam usu compertum est, per hepatis ac renum ardores assidua cruditate ventrem urgeri. Ita profecto, ut mutua in his visceribus pernicies sit, quæ esse inter se oportuit beneficio mutuo devincta. Ergo sic affectarum particularum procurationem CELSUS aggressus, a capite incipit, cujus male affecti curatio periculorum ac taedii plena, numerari inter difficillimas potest. Capiti enim imbecilla vis obtigit, cum ad cavendum excrementi proventum, tum ad proprios affectus discutiendos, quatenus per se subfrigidum, ac longius ab caloris infiti fonte remotum est. Quippe ejus rei incommodum præsentiens parens Natura, plurimos maximosque canales cerebro contulit, quibus id Indies expurgaretur, nares dico, palatum, aures, calvae commissuras, ipsosque aliqua ex parte oculos. Adjicitur affectionum periculo ipse capitis situs. Nam id, quia in alto corpore positum est, subjecta loca, superfluum, quæ multa naturaliter colligit, defluxu prompte afflicta. Inde adeo, ut ARISTOTELES hominem esse quasi subversam arborem dixerit, parte corporis omnium humectissima supra cervices imposita, ideoque hominem, præ cæteris animantibus, maxime defillationibus urgeri. *Scilicet ipse Deus, cum prona* (ut ait

NASO) *spectant animantia caetera terram.*
Os homini sublime dedit.

Sane hujusce destillationis tanta vis est, ut nunquam non difficiles, saepe exitiosos quoque morbos inferat. Levissimum malum est, ubi in narium ac palati spatia fluxio decumbens, emunctione spuitione extunditur. Hoc minus leve, si oculos, si aures, aut dentes tentat. Grave admodum est, ubi gulam ac ventriculum impetit. Gravissimum, si larynx hanc, asperaque arteria, ac pulmones excipiunt. Tum enim, si ignavum est, quod influit, vocem violat; si acre, praeter hoc exulcerat quoque non tantum has partes, verum ipsos etiam pulmones, adeo, ut hinc saepe gravis oriatur tabes ea, quæ hominem spatium consumit. Si vero in ventrem destillans humor illabitur, appetentiam alias diminuit, alias depravat, ac semper quaecumque assumpta sunt alimenta, corrumpit, saepeque, si acris est, ventriculi tunicas erodit, ac diarrhaeas movet. Quin etiam longe inferius sidens jejunum intestinum, atque colon afflictat, ipsasque interdum mesareias convellit. Hæc mala omnia nemo rectius caverit, quam qui caput seu fontem, unde ista scaturiunt, ita communit, firmatque, ut excrementa neque gignat, neque jam geni-

ta in commemoratas sedes exoneret. Ergo capitis imbecillitas haec, ut a multis causis, etiam contrariis pendet, ita unam veluti proximam nunquam non consequitur, quae est proprii caloris imbecillitas. Quippe calor innatus virtutum functionumque author est, quae impediri abs quavis intemperie possunt. Itaque folius imbecillitatis CELSUS meminit, sine causæ alicujus adjectione. Nam ea qualiscunque demum fuerit, contrariis abolenda est, quemadmodum ipsemet author superius fatis insinuavit, quando calidos dixit refrigerari, calefieri frigos oportere. Tum quarto post hoc volumine luculenter docet, permagni referre, quae causa dolorem moverit, neque perinde esse, initium morbi calor attulerit, an frigus aliaque auxilia urgente calore, alia frigore dominante necessaria esse, videlicet praesentes morbos sanare nemo potest, qui unde hi sint, ignoret. Proin idem author alias monuit, ubi causa quoque mali incognita est, videre oportere, refrigerantia magis, an calefacientia leniant, & his uti, quae experimentum approbarit. At vero hic, quae CELSUS proponit auxilia, haec imbecillo capiti æque convenientia sunt, quia ingenitum ipsi calorem concoctionis authorem tutantur; quemadmodum paulo post a nostro CELSO docebitur,

concoctionem omnibus vitiis succurrere, aliis autem calorem, aliis frigus.

Sed illud quoque ante omnia scire convenit, non de iis hominibus authorem hoc loco agere, quos jam nunc capitis mala premunt. (horum enim curatio ad Therapeuticen attinet, sanitatis tuendæ professionem excedens); sed quibus absque morbo caput imbecillitate vel fortuita, vel naturali urgetur, sic ut hinc facillime id ægrotet. Ergo ejus incommodi praecautio ipsius roboratio capitis est. Ac roboratur quidem id iis causarum salubrium generibus, quae quoquomodo calori ejus, tum tutando, tum augendo, inserviunt. Illa vero hoc deinceps ordine sequuntur. Ac primum quidem perfricari leviter caput non inutile est, ex quo infusus ipsi calor excitatur, rarefactaque cute, si quae subtus hac latent superflua, transpirant. At vero id fieri non nisi perfecta concoctione oportet, ne cruditas moveatur, quae caput emissis sursum vaporibus affligat. Adhaec caput quoque, si fieri potest, nunquam veste velandum est. Nam sic cuivis assuefactum aëri, contra omnes ejus injurias duratur. Etsi id tentare saeviente bruma parum tutum est, ac perniciosum quoque, si aliquo jam morbo caput ægrum est. Tum enim unde-

cunque laboratur imbecillitate, morbo, frigore. Atque hæc animadversio per graviores etiam æsius necessaria est. Per velationem intelligas oportet, curiosam capitis custodiam multis operimentis indulgentius quaesitam. Nam pileolo id leviter integere, non alienum est. Jam vero neque ad cutim tonderi caput expedit, ne capillitii munimine destitutum ad propulsandas cœli injurias, fiat invalidum, tametsi æque propemodum inutile est, id ipsum ingenti pilorum sylva fovere, unde superfluum intercipiatur exhalatio. Utile perpetuo est lunam vitare, ut quae vim nacta est humores commovendi, atque his loca, quae irradiat, implendi. Quippe hæc ante caeteros planetas humido potissimum elemento dominatur. Nam interpositis temporibus mare modo inflat, modo contrahit, tum menses in mulieribus commovet, ossium medullas quibusdam in bestiis adauget, cruentoque madore aspergit, nonnullis turbato cerebro insanias affert, quos ob id Lunaticos appellamus. Adeo apparet, recte id cecinisse LUCANUM: *Luna suis vicibus Thetin, terrenaque miscet.* Ergo ut hæc prae caeteris mundi elementis aquam magis permovet, ita in hoc nostro corpusculo seu quodam μικροκόσμῳ eam partem gravius infestat, quae reliquis humidior simul & frigidior

est, ipsum videlicet cerebrum, quod si per se insuper imbecillum est, protinus per aspirantem lunam multo humido, eoque perturgente oppletur, id quod eorum quoque exempla docent, quibus sub hac quiescentibus caput gravatur, & interdum cruor e naribus manat. Porro nusquam post cibum progredi, sed quiescere oportet, ne quis inutilis vapor ex permoto ventriculo sursum aspiret. Jam capillos etiam non alia de causa indies pexos esse convenit, quam qua caput perfricandum proposuimus.

Præter hæc confert multa quoque ambulatio, tum quia id exercitii genus succos minus turbat, tum quia superfluatorum corporis impetum ad inferiora magis avertit, nequicquam mentis arcem sollicitans. Supra enim ex GALENO demonstravimus, supernæ partis affectus, inferiorum exercitatione juvari. Fieri vero ista ambulatio sub tecto debet, ubi aër & quietior & temperatior est, moderatius aestate calens, atque hyeme frigans. Sol quoniam caput tum incendit, tum excipiendis succorum halitibus exponit, curiose vitandus est. Ἐγκύλις enim omnis imbecillo capiti, siquid aliud, nocentissima est, idque post cibum præcipue ac vinum, quae promptissime id tempo-

ris eo subvolant. Modo ostensum est, succorum corporis commotionem infirmo capiti ad-
 versari, ex quo conficitur, unctionem potio-
 rem balneo hic esse oportere, ut quæ hæc
 minus succos exagitat, nec perinde caput va-
 poribus laceffit. Eadem causa est, quare nun-
 quam ad flammam ungi, raro ad prunam ex-
 pediat. Tepescens enim aër ad hæc omnia com-
 modior est, quia minus inflammat. Nec vero
 alio spectat, quod corpus, ubi ad balneas ven-
 tum est, nequaquam folio committere tutum
 sit, sed totum post modicos sudores, postque
 unctionem per caput expediat, multa calida
 aqua duntaxat perfundi, ut sic excrementa
 transpirent, turbatis quam minimum succis. Post
 calidæ affusæ usum **CELSUS** primum tepida,
 mox frigida aqua per totum corpus irrigat,
 quo reclusa spiracula, defervescente capitis ar-
 dore, paulatim coëant, idque, ne subsequens fri-
 gida, violenter intro ruens, cerebrum violet.
 At hac caput diutius cæteris partibus diluen-
 dum est, ut insitus ipsi calor ab extraneo fri-
 gore intro fugatus vires ex stipatione colligat,
 multoque tandem copiosior ad cutim ex alto
 recurrat, quod ut quidem citius eveniat, ca-
 put post affusam frigidam aliquamdiu perfrica-
 bitur. His ita administratis, caput detergitur,
 ne qui toti undique comæ inhærescit mador,
 cere-

cerebrum frigore tandem afflictet. Novissime autem eadem pars inungitur, quo fidelius caloris per frigidam aucti substantia intra habitum inclusa teneatur.

Capiti nihil æque prodest, atque aqua frigida. Itaque is, cui hoc infirmum est, per aestatem id bene largo canali quotidie debet aliquamdiu subjicere. Semper autem, etiamsi sine balneo unctus est, neque totum corpus refrigerare sustinet, caput tamen aqua frigida perfundere. Sed cum cæteras partes attingi nolit, demittere id, ne ad cervices aqua descendat, eamque, ne quid oculis aliisque partibus noceat, defluentem subinde manibus ad os regerere. Huic modicus cibus necessarius est, quem facile concoquat, isque si jejunio caput læditur, assumendus etiam medio die est: si non læditur, semel potius. Bibere huic assidue vinum dilutum leve, quam aquam magis expedit, ut cum caput gravius esse cœperit, sit, quo confugiat, eique ex toto neque vinum, neque aqua semper utilia sunt;

U

medicamentum utrumque est, cum invicem assumitur. Scribere, legere, voce contendere, huic opus non est, utique post cœnam: postquam nec cogitatio quidem ei satis tuta est; maxime tamen vomitus alienus est.

Aqua frigida ob id capiti imbecillo prodest, quod nativi caloris, quem prius intro pepulit, reverberationem incrementumque efficiat. Inde enim solidis ejus particulis, quibus idem ipse calor inexistit, operationum robor acquiritur. Ceterum (uti superius admonui) studiose cavendum est, ne frigida partis virtutem sua vi superet. Sic enim longe hæc fit debilior, ad summam frigiditatis intemperiem redacta. Itaque hoc incommodo ut caveatur, præstiterit non nisi æstate caput infirmum frigida lavari. Id enim aëris calore ita præmunitum, facilius elementi gelidi vim refrænât: confertque hæc ista perfusio (ne quis hunc locum aliqua ex parte claudicare existimet) tam frigido, quam calido capitis affectui. Siquidem huic ascititium calorem extinguit, illi naturalem cogendo adauget, in utroque partem infirmam roborat, & adversus cœli intemperiem omnem communit. Nus-

quam igitur hoc negligendum auxilium est, adeo, ut si quis unctus duntaxat balneo abstinet, etsi corpus nolit, caput tamen frigidis undis irrigare debeat. Jam quod ad cibum attingit, modice is raroque (si res patitur) gustandus est, ita enim concoquitur exactius, & caput minus effumatione laceffit. Dixi, si res ita patitur, affecti ventriculi causa, qui si forte nimio jejunio bilescat, protinus cibus ipso etiam meridie sumendus est. Levius enim hic concessi alimenti, quam negati periculum est. Nempe authore GALENO *) constat, ventriculum quavis ex causa debilem, totius venosi generis excipere immunditiam, quæ si hinc facile in caput evaporat, non adeo mirum est, maxima inter has partes intercedente sympathia. Potus vinum dilutum esto, ac tenue (Græci ὑδαπῶδες id appellant) ne scilicet caput halitu feriat. Aptissimum, puto, fuerit, quod GALENUS 5. loc. affect. proponit, tenue, album, & modice adstringens, quale nostrum forte Rhenanum est, utique si non excoctum ardentiore sole est. Id enim ventriculum firmat, & caput minime lædit. Nihilo hoc incommodior, imo longe forsan præstantior sincera esset aqua, nisi hæc melius in ea refer-

U 2

*) Gal. 6. san.

varetur tempora, quibus caput jam ægrotare manifeste cœpit: nimirum ut sit, quo afflictis in rebus confugiatur. Siquidem frigida vires infrequens usus auget, propterea, quod infueta omnia, ut vehementius naturam afficiunt, ita quas ea contraxit noxas, magis efficaciter tolerant. Porro vinum meracum, ac potens, quod **HIPPOCRATES** *ὄινωδες* **HOMERUS** *αἰδοπικα ὄινον* vocat, prorsus inutile est, nam capiti, hoc, si quod aliud, apprime grave molestumque est. Quod scriptio, lectio, cogitatio, & si quæ similis est negotiosa animi, aut corporis actio, post cibum noceant, ex spirituum concoctioni destinatorum ad mentis arcem raptu contingit, cui incommodo, tum quoque non ægre concreditur crudi alimenti evaporatio. Cur item vociferatio à cibo officiat, in promptu causa est. Nam agitatæ præcordiis concoctio ventriculi, quæ summam optat quietem, labefactatur, unde statim ipsum caput vaporibus lacessitur. At vomitus nocet, tum propter capitis agitationem, tum sympathiæ causa, quæ huic cum ventriculo grandium nervorum interventu, longe maxima est.

 CAPUT V.

De his, qui lippitudine, gravedine, destillatione, tonsillisque laborant.

Neque vero his solis quos capitis imbecillitas torquet, usus aquæ frigidæ prodest, sed iis etiam, quos assiduæ lippitudines, gravedines, destillationes, tonsillæque male habent. His autem non caput tantum quotidie perfundendum est, sed os quoque multa frigida aqua fovendum est, præcipueque omnibus quibus hoc utile auxilium est, eo utendum est, ubi gravius cœlum Austri reddiderunt. Cumque omnibus inutilis sit post cibum, aut contentio, aut cogitatio animi; tum his præcipue, qui vel capitis, vel arteriæ dolores habere consueverunt, vel quoslibet alios oris affectus. Vitari etiam gravedines destillationesque possunt, si quam minime is, qui

his opportunus est, aërem, vel loca aquasque mutet, si caput in se protegit, ne incendatur, neve subitum ex repentino nubilo frigus id moveat: si post concoctionem jejunos caput radit: si post cibum neque legit, neque scribit.

Lippitudo Graecis *Οφθαλμία* dicta, inflammatio est tunicae oculorum adnatae, ab influxu multi sanguinis, vel humorum acrium, flatulentorumve excitata. Destillatio graece *κάταρρῶς* seu *κατασαγμος* appellata, fit, ubi humor fauces ac palatum impetit. Tametsi vulgo cuivis rheumati commune sit catharri nomen, ubi si extima membra, si asperam arteriam, ac pulmones invadat: ex illo enim motionis torpor ac paralyfis; ex hoc & raucitas (graece *Βράγχος*) & tussis, exulceratoque subinde pulmone tabes fiunt. Tonillæ autem tumores *παρισθμια ἀντιάδες* vocantur, suntque inflammationes glandium, quae in fine oris utrinque linguae adjacent, factae ab alicujus a cerebro materiae defluentis incurfu. At grave-do (non multum distans a destillatione malum) graece *κόρυζα* appellata, fit, quando crudus humor in nares destillat. Qui ad haec fluxionum vitia proclives sunt, omnes ex aequo (ut

CELSUS author est, effusa in caput frigida juvantur, idque nulla alia de causa, quam quod hanc partem, ut supra comprehensum est, ea roboret, communiatque, quo minus excrementi vel in sese gignat, vel aliunde recipiat. Nempe ejus imbecillitas unica omnium horum ansa malorum est. Itaque intus quoque in ore non tantum extrinsecus id tentandum auxilium est, fovendumque multa frigida palatum, ut supra roborationis beneficium adstrictis undique meatibus, neque caput ad mittendum excrementum, neque comprehensa loca ad excipiendum, prona sint, eritque illud majore cura faciendum, ubi grave cœlum Austri reddiderunt. Tum enim ambientis qualitate caput excrementis maxime conflictatur, juxta illud HIPPOCRATIS *): *Auster auditum hebetat, caliginem oculis obducit, caput gravat.* Quomodo GALENUS quoque Romanos catharris opportunos esse scripsit, propter aëris, qui ibidem spirat, mistam caliditatem humiditatem. Porro quod omnis meditatio animi & corporis catharosis protinus a cibo advesetur, supra comprehensum est. Jam non hos modo frigida affusa juvat, sed eos etiam, quibus dolere vel caput, vel arteriae fo-

*) Hipp. lib. 3. Aph. 5.

lent. Siquidem hæc ista mala si adsunt, exasperant, si conquievire, denuo suscitant emissi in caput vapores: utique si crassi hi crudeque sunt, quales venter tum ubertim ejaculatur, cum quis ejus concoctionem intempestivo vel animi cogitatu, vel corporis motu interturbat. Per capitis & arteriæ dolores intelligas oportet, cæphalæam & hemicraniam, qui affectus ægre admodum solvuntur, sæpe assidue cruciant, interdum intermittunt quoque, sed protinus strepitu, vini potu, splendore luminis, motu, odoramentis, aliisve rebus caput opplentibus recrudescunt, quæ omnia caephaleae cum promptiora, tum graviora sunt. Porro catharros declinandi ratio, ex tertio hujus libri capite discenda est. Nam cum hos calida causa nonnunquam moveat, excrementa capitis solvens, fundensque, nemo dubitet, quin caput expediat a sole, ne accendatur, protegere, cumque eadem mala frigus quoque invehat, humores stringens, ac veluti manibus exprimens, res ipsa vetat, ne corpus post repentinum nubilum frigoribus obiectetur. Ubi enim sic tempestates variant, periculum capiti infirmo maximum est, ac proin nec loca quidem, aut aquas mutare tutum est, utique si contraria inter se qualitate atque indole dissident. Etenim cavendum, ne aut id

quod frigore obstupuit, calore fundatur, aut quod hoc fluxum est, illo exprimatur. Jam quod nec saturo caput radi, imo nec seria legere, aut scribere, tutum sit, supra demonstratum est.

CAPUT VI.

Ad solutam alvum remedia.

Quem vero frequenter cita alvus exercet, huic opus est pila, similibusque superiores partes exercere, dum jejunus est ambulare, vitare solis nimium ardorem, continua balnea, ungi citra sudorem; non uti cibis variis, minimeque jurulentis aut leguminibus, oleribusve his, quæ celeriter descendunt; omnia denique fugere; quæ tarde concoquuntur. Venatio, durique pisces, & ex domesticis animalibus assa caro maxime juvant. Nunquam vinum salsum bibere expedit, ne tenue quidem; aut dulce; sed austerum, & plenius, neque id ipsum per-

vetus. Si mulso uti volet, id ex decocto melle faciendum est. Si frigidaë potiones ventrem ejus non turbant, his utendum potissimum est. Si quid offensæ in cœna sensit, vomere debet, idque postero quoque die facere: tertio modici ponderis panem ex vino esse, adjecta uva vel olea, vel ex defruto, similibusque aliis: deinde ad consuetudinem redire. Semper autem post cibum conquiescere, ac neque intendere animum, neque ambulatione, quamvis levi, dimoveri.

Sunt haec, quae CELSUS proponit, lubrici ventris remedia. Ac primum quidem pilæ lusus est, omneque id exercitii genus, quod superiores partes magis caeteris movet. Per haec enim humoris ad fluxum proni impetus in contrariam regionem avertitur, ipsum scilicet corporis habitum. Idemque praestat ambulatio, sed quae jejuno fiat stomacho. Nam si cibum haec excipit, non modo non comprimit alvum, sed etiam praecipitat. Scilicet per motionem pessum impulsæ epulae pyloro promptius elabuntur. Nemo existimet duo haec, quæ retulimus auxilia, profluenti

jam nunc ventri conducere. Nam quia materias fluentes magis concitant, ob id etiam obsunt. Neque enim CELSUS hoc loco praecipit, quomodo mederi malo, sed quomodo occurrere oporteat. Eodemque authore disci potest, in hoc affectu corporis jam urgente, neque ambulatione, neque frictione opus esse; vehiculo sedisse, aut equo, praestare. Porro vitandus vehemens omnis insolatus est, quoniam densato habitu, materias liquidas in viscera ventremque compellit. Modicus autem sol non adstringit, sed potius laxat habitum, succosque ab imis praecordiis ad carnes sine vi evocat. Nocent insuper continua balnea, non alio sane nomine, quam quod corpus copioso humore imbuant, nutantesque in fluxorem materias calore fundant permoveantque. Scilicet ejus rei causa in quovis morbi genere, quem fluxio excitat, recte balneis abstinetur. Verumtamen quoties fluxio non est, sed timeatur, rarius tentata haec profuisse deprehensum est, quoties absque momentanea corporis madefactione, atque turbatione (rarenter cum adhibeatur) humores versus extremas partes quadam ἀντισπάσιων via, ex imo corpore alliciunt. Sic ut hujus remedii salubritatem commendet

*) Cels. lib. 4. cap. 19.

rarior usus. Jam quod unctio lenis, seu quae fit citra sudorem, non inutilis fit, respectu ejus scribitur unctio, quae ad sudoris eruptionem usque administratur; haec enim, quia succos turbat, nocentissima; illa quia placida est, tuta censetur. Quod autem ciborum varietas vomitum & dejectionem tum requirat, tum facilem efficiat: supra eo loco retulimus, quo ciborum ratio exposita est. Tum etiam quod idem efficiant, & jurulenta, & ea olera, quae celeriter descendunt. Omnia enim haec molliendo, alvum citant. At quae tarde concoquuntur, idcirco aliena sunt, quod ventriculus haec nequaquam vincere potis, pro superfluis habeat, protinusque seu pondus inutile in alvum excutiat.

Venationem, seu carnem ferinam siccitas utilem facit. Hac enim qualitate tenendi vis omnis firmatur, ut contra humiditate solvitur. Si piscibus quoque vesci animus est, duri sint oportet, idque tum apparatu, ut assi, tum propria natura, qualis anguilla est, qualis salmo, & hujusmodi. Neque alia de causa, assata quoque domesticorum animalium caro accommodatior est, quam quia ficcior est. Domestica CELSUS recte dixit: nam quae ferarum caro est, fatis superque per se sicca est,

neque assationis admodum egens. Vinum bibere convenit neque salsum, neque dulce: hoc namque humectando lubricitandoque ventrem provocat, illud radendo. Fugiendum etiam id, quod tenue est, nam protinus diffluit, parvasque siccandi vires habet. Utilius propter adstrictionem austerum est, quod & plenius aliquanto bibere convenit, ut totis undequaque ferculis immistum, nullam non partem intestinorum attingat. Id ipsum austerum nequaquam pervetus esse debet, nam id jam tum plane dulcescit. Si postulante re aliqua, mulso utendum est (nam mulsum omne, ventrem movet) paratum id esto ex decocto melle. Istud enim (authore **GALENO**) ut magis nutrit, sic & minus alvum subducit. Frigidæ potiones quoniam adstringunt, juvant; plerisque tamen alvum magis impellunt, quos homines, tertio capite libri hujus notavimus. Siquid cœna ventriculum laccessivit, protinus vomendum est, idque ne male gratas epulas ventriculus in alvum ejectet; ideoque hujus rei principia maturo vomitu praeoccupare, non alienum est. Post vomitum etiam postridie repetitum, reficiendus roborandusque ventriculus est, quod cibus exequemur, partim moderate adstringentibus, partim temperatis, unaque concoctu facilibus. Confert igitur mo-

dicum panem ex vino, aut defruto esse, quæ ut non gravant ventriculum, sic probe reficiunt; tum his adjicere, vel uvam vel oleam oportet, quæ stomachum vomitione laxatum firment. His enim fructibus, præsertim immaturioribus, haud parva adstringendi vis obtigit. Porro altioribus animi a cibo intentionibus, multus spirituum vitalium ad cerebrum accessus: huic rei ventriculi cruditas; cruditati gravamen; gravamini celeris assumptorum omnium dejectio, succedunt. A cibo item quies necessaria est, adeo, ut ne levissima quidem ambulatio tuta sit. Nam alimentum alioqui ventri fluenti grave, dimoto corpore non potest non ad alvum subsidere. Quies vero in consuetudinem ferendi oneris intestina deducit.

CAPUT VII.

Remedia ad Coli dolorem.

Et si laxius intestinum dolere consuevit, quod κῶρον nominant, cum id nihil nisi genus inflationis sit, id agendum est,

ut concoquat aliquis; ut lectione, & aliis generibus exerceatur; utatur balneo calido, cibis quoque & potionibus calidis; denique omni modo frigus evitet, item dulcia omnia, leguminaque, & quidquid inflare consuevit.

Non de eo colici doloris genere **CELSUS** hic agit, quem laxioris intestini inflammatio, aut facta ab acribus excrementis erosio movet; sed qui causam sequitur frigidam, sive crudus aliquis vapor intestini membranas distenderit, sive etiam praefrigidus humor, qualis ante omnia, vitrea pituita est, sua qualitate violentia perstrinxerit. Scilicet inaequalis intemperies novissimam hanc doloris speciem authore **GALENO** *) efficit, quem idem in se ipse acutissimum expertum narrat, colo vitrea pituita obfesso. Neque vero est, quod magnopere quis miretur, tam atroces dolores intestinis accidere posse: nam horum tunicæ, quia ex villis nervaceis constant, exactissimum tactus fortitæ sunt sensum, qui sensus sub hoc morbo adeo saepe graviter afficitur, ut multos coegerit doloris immanitate victos, vitæ suæ durius consulere. Coli dolorem hunc fere invehunt:

*) Gal. de inæquali intemperie. Idem e. loc. aff.

frigora, assidua ventris cruditas, edulia pocula-
 que tum frigida, tum flatulenta, ipsaque subin-
 de coli intestini naturalis, aut fortuita frigidi-
 tas. Ad hujus ergo symptomatis *πρωφύλαξιν*
 quidnam conducibilius sit, quam per claram
 lectionem, aliasque exercitationes, tum ven-
 triculi, tum reliqui corporis totius concoctio-
 nem moliri; quid denique optatius, quam
 coli intemperiem calidis, & balneis & edu-
 liis potionibusque infringere; ipsumque cor-
 pus, frigidi aëris inclementiæ subtrahere, tum
 ea fugere genera ciborum, quae dolorem, si
 is non est, excitare, si est, intendere consue-
 runt, cujus ordinis omnia habentur dulcia, eo
 quod sua natura cum sunt multum aërea, ac
 spirituosa, inflationes movent. Pariaque his
 sunt ad inflandum omnia pene legumina, in
 quibus facile princeps est faba. Caetera, qui-
 bus inflandi vis inest, usu observanda sunt;
 utpote omnia jurulenta, omnia pingua, mu-
 stum, & id vinum, cui nihil ætatis accessit;
 tum recens crassaque cerevisia, ficus virides,
 uvæ recentes, omnisque caseus, lac, rapæ,
 bulbi, & ejus farinae sexcenta alia.

C A-

CAPUT VIII.

Quæ agenda sint stomacho laborantibus.

Si quis vero stomacho laborat, legere
clare debet, post lectionem ambulare,
tum pila, vel armis aliove quo genere,
quo superior pars movetur, exerceri. Non
aquam, sed vinum calidum bibere jejunos.
Tum Cibum bis die assumere; sic tamen, ut
facile concoquat: uti vino tenui & austero,
& post cibum frigidis potionibus potius.

Stomachus (sub quo nomine CELSUS
nusquam fere non ventriculum significat) aut
proprie intemperiei, aut materiæ in se con-
fluentis vitio imbecillus est. Intemperies, si
naturalis est, difficulter eruitur. Quis enim
facile mutet naturam? si vero ascititia est,
minimo saepe negotio tolli potest. Molestius
est, ubi alienorum humorum appulsu stoma-
chus vitiosus est; longeque pessimum, si in
calidum ventrem tenuis pituita irruit, vel in
frigidum bilis. Ac superest adhuc aliud sto-

machi malum, alias a CELSO *) descriptum, quo id viscus resolvitur, cibique, ut idem author ait, tenax non est, soletque sub hoc desinere ali corpus, ac sic tabe consumi. Fere vero hic incidit, ut alimenta minus accurate concoquantur, quin stomacho potius innatent, nauseamque, vomitum, ructus, inflationes ventris, aut sonitus moveant, tum alvus quoque ut plurimum sistatur, propter superioris partis laxitatem ne quidquam compressis ad alvum epulis. Hoc affectus genus nunc CELSUS explicat, aliorum προφυλαξιν, quæ evidentem nudamque fere intemperiem sequuntur, proxima abhinc sententia expositurus. Itaque ejus, qui nunc prae manibus habetur affectus, periculum omne in stomachi laxitate vertitur, cui fere humiditas comes jungitur, mirifice ad quaevis laxanda membra potens qualitas. Hanc praeter nulla ferme hic alia intemperies eximie dominatur. Tametsi promptius hic sit frigiditatis, quam caloris periculum. Quo minus putandum est, CELSUM de laborante bilioso stomacho hic agere, cui nimirum alta lectio, pila, multoque magis arma & vinum aliena sunt. Ergo duorum generum hoc capite remedia proponuntur,

*) Cels. lib. 2. cap. 5.

quorum usu comprehensis malis subvenitur : primum, quod stomachum quoquomodo firmat, sive ingenitum ejus calorem excitando, seu tunicas ejus comprimendo. Secundum genus est, quod excrementitios ventriculi humores consumit. Clara igitur lectio utilis habetur, quod motis thoracis septique transversis musculis, loci proximitate ventriculum quoque permoveat, ex quo infusus ipsi calor augetur, superfluaeque humiditatis vitium corrigitur. Post lectionem ordine effectoque secunda ambulatio est, cujus rei causa eo loco enarrata est, quo proposuimus superiorum partium affectus, inferiorum exercitatione juvari. Post haec non male conveniunt, & pila & validorum armorum meditatio, aliudve. Quod genus exercitationis, qua superior corporis regio magis dimoveatur; id enim, ut alibi **CELSUS***) author est, in omnibus stomachi vitiis aptissimum est. Jam vero quoniam semper fere aliqua hic urget cruditas, fugere convenit ea omnia, quae concoctionem tardant. Ideoque frigidae potio jejunis prorsus inutilis est, ut quae stomachum crudo frigore plus offendat, quam adstrictione juvet. Ex quo colligi potest, mane potui vinum & facultate

X 2

*) Cels. lib. 4. cap. 5.

& energia calidum rectius dari, quod stomachum suo calore partim ascititio comprimit, partim naturali refocillat, & utrolibet intemperiem ejus, cum frigidam tum humidam, delet. Caeterum bis cibum capere expedit, eo quod infirma ventriculi vis jugi sustentatione indigeat. Tum nec eo luxu ponendus cibus est, ut onere huic visceri molestus sit. Potui vinum tenue praestandum, & austerum. Illud enim infirmum ventriculum minimum lacessit, hoc adstrictione roborat. Cujus rei fructus ut sit cumulatio, non dubitavit CELSUS post ultimum cibum, frigidum quoque poculum praebere.

Stomachum autem infirmum indicant, pallor, macies, praecordiorum dolor, nausea, & nolentium vomitus, in jejuno dolor capitis: quae in quo non sunt, is firmi stomachi est. Neque credendum utique nostris est, qui, cum in adversa valetudine vinum aut frigidam aquam concupierunt, deliciarum patrocinium in accusationem non merentis stomachi habent. At, qui tarde concoquunt, & quorum ideo praecordia inflantur, quive propter ardorem ali-

quem noctu sitire confueverunt, antequam conquiescant, duos tresve cyathos per tenuem fistulam bibant. Prodest etiam aduersus tardam concoctionem clare legere, deinde ambulare, tum vel ungi, vel lavari, assidue vinum frigidum bibere; & post cibum magnam potionem, sed ut supra dixi, per syphonem: deinde omnes potiones aqua frigida intercludere. Cui vero cibus acescit, is ante eum bibere aquam egelidam debet; & vomere. At is, cui ex hoc frequens dejectio incidit, quoties alvus ei constiterit, frigida potione potissimum utatur.

Exequitur **CELSUS** ea nunc stomachi vitia, quæ evidens aliqua caloris aut frigoris intemperies invexit; orsusque a notis est, quibus cognosci utrumlibet genus possit. Hæc vero, quas retuli notæ, quia seorsim unaquæque per se positæ, plerisque aliis quoque morbis nonnullis communes sunt, copulatim accipi omnes debent, æque profecto, ut neque sola tussis pleuritidem facit, neque pungens lateris dolor, neque febris continua, neque spiritus difficilis, sed omnia hæc simul coeuntia.

Et quis igitur non suspiciat summum nostri authoris in docendo artificium, quis non pulcherrimis faecundam rebus brevitatem exosculetur, qua is nobis simul biliosi pituitosique ventriculi notas expressit? Scilicet iste mos cum priscis viris omnibus, tum nostro CELSO servatus semper fuit: omnia brevissimis sententiis, seu quibusdam aphorismis memoriae prodere, quæ sedula post animadversione limitari, ac veluti subtilius excoli a viris medicinæ gnaris possint. Igitur pallorem (ut ab hoc primo ordiar) improba fecit ἀμάρωσις, quæ a chylo parum recte cocto cepisse initium potest. Saepe enim ante propositum est, unius visceris in concoquendo vitium, alterius integritate non castigari. Eædem causæ & maciem poterunt conciliare, quoniam frustrata concoctione, nulla fit bona nutritio; ad hujus enim integritatem illa viam sternit, quatenus nihil assimilari solidis potest, nisi ante probe alteratum confectumque sit; sic ut tota nutritio nihil aliud, quam ipsa sit assimilatio. Praecordiorum dolor contenta intus excrementa sequi potest. Nec dissimilibus causis nausea succedit vomitusque nolentium, seu sponte naturæ erumpens. Capitis in jejuno dolor, biliosos potissimum exercet, evaporante ad cerebrum biliosa sanie, quæ per

inediam ad ventrem confluxit. Potest idem dolor & pituitosis accidere, qui tamen non ita ut prior pungens est, sed gravans potius, ac plerumque etiam distendens.

Atque his signis infirmi ventriculi, veluti in conspectum quendam adductis, CELSUS prophylactica ejus auxilia nunc exequitur, statuitque duplicem infirmitatis differentiam. Prima intemperiem calidam, altera frigidam sequitur. In hac praecordia (nequid spinosior orationis contextus improvidum fallat) inflantur. In illa autem, propter ventriculi ardorem multa per noctem fit sitis. In ambobus vitiis (ut curiose locum inspicienti patet) sumptas dapes recenti fonte includere permissum est. In frigido quidem, quoniam compressis ventriculi tunicis, simul cibus ab his arctius comprehenditur, simul nativus visceris calor intus coercitus, vires ad concoquendum assumit. At vero bilioso stomacho, ut omnia hæc eveniunt bona, sic illud quoque velut ἐξ ἐπιμετροῦ accedit, quod squalidus ille calor, qui velut ignis quidam ventriculum extorret, frigidæ potentia extinguatur. Proinde sic affecto stomacho utile est, tum ungi, tum assidue lavari, simul vinum actu frigidum, ac potestate imbecillum bibere, atque a cibo mag-

am potionem per syphonem haurire, protinusque tum epulas, omnesque potiones aqua frigida intercludere. Scilicet omnia hæc bilioso ventriculo eximie subveniunt. At frigido idoneum est alta voce legere, multumque ambulare; ungi vero parum utile est, lavari etiam noxium. Quis enim nescit, cruditati balneas adversari? In utrisque, ut proxime dixi, conveniens est, ultimo cibo, aquæ frigidæ poculum. Huic unicum impedimentum est venter, cum facile, tum periculose profluens; qui si jam nunc urget, aut denique futurus timetur, utique frigido omni potu supersedendum a cibo est, quod cur ita præcipiatur, eo loco supra docuimus, quo frigidæ bibendæ ratio exposita est. Eo fluore venter immodice calens raro tentatur, utpote omnibus ab ejus fervore exustis epulis, ac sic minus adfluendum propensis. Sæpissime is fluor urget, ubi cibus intus coacuit, qui prompte aut vomitu aut dejectione elabatur, tum quia humectus etiamnum est, crudusque, ac nequidquam calore adæquatus, tum quia & pondere ventriculo gravis est, & imbecilliter ab eodem continetur. Ejusque rei causa **CELSUS** tum præcipue vomitum citat, cum cibus contracto acore vitiosus est. Ex qua concoctionis imperfectione, si frequens dejectio est, abs-

stinendum frigida a cibo est, ut quæ ventrem magis fluidum reddere potest, non potest firmum. Ergo hoc constante nusquam perperam frigidum a cibo bibitur. Adeo apparet, hoc **CELSI** præceptum calido frigidoque stomacho juxta commune esse. Siquis nostra ætate diversum sentiet, equidem non mirabor, cum ejus notæ refractarios complures exstitisse, vivente etiam **CELSO** constet, qui aquam in adversa valetudine toties potui dari putabant deliciarum causa, non eam merentis exigentisque stomachi. Scilicet quisnam istorum vulgarium medicorum factum non ilico calumniatur, si sanior aliquis, ac doctrinæ **CELSIANÆ** studiosior, homini ex stomachi cruditate febricitanti, sumtis idoneis epulis tres frigidæ Cyathos propinet? Quis inquam non protinus deliciarum aegroti patrocinium in accusationem habeat, atque condemnet, non autem stomachum excuset, aquam recte salubriterque postulantem? Perstringit hac author sententia eorum medicorum perversa judicia, qui & aquam & vinum ab ægrotis ferre expeti arbitrabantur, dictitante sic potius luxuria, quam exigente stomacho. Etenim vinum ardentibus febribus, aquam cruditatibus adversari vulgatum tritumque est. At vero quo rerum statu fieri hæc istis affectibus

possint innoxia, id hercle scisse non omnibus juxta proclive est. Nempe vinum nonnullis acute etiam febricitantibus HIPPOCRATES indulgit. Tum aqua, quibus ea judicabatur ad-versa, saepe inopinatam attulit salutem.

CAPUT IX.

Quid observandum dolore nervorum laborantibus.

Si cui vero dolere nervi solent, quod in podagra chiragra esse confuevit, huic quantum fieri potest exercendum id est, quod affectum est, objiciendumque labori & frigori, nisi cum dolor increvit. Sub dio quies optima est. Venus semper inimica est. Concoctio, sicut in omnibus corporis affectibus, necessaria est. Cruditas enim id maxime lædit, & quoties offensum corpus est, vitiosa pars maxime sentit.

Arthritis prout varias obfidet corporis partes, alia aliaque sortitur nomina. Ac podagra quidem est, si pedum articuli; chiragra,

si manuum; quemadmodum & ischias, si coxarum laborant. Arthritis dicitur, ubi tota aequaliter corpora enervantur. Oritur hoc malum ab articulorum imbecillitate, sive ea sit naturalis, sive ascititia. Illa a parentum semine, haec victus errore contrahitur. Estque haec imbecillitas antecedens quaedam morbi causa, quae articulis, dolore etiamnum vacantibus perpetuo manet. Ergo hanc correcturus, infirma membra exercere debet, sic ut mutuo articulorum attritu insitus ipsis calor excitetur, simul ut durities quaedam his contrahatur, ad sustinendas rerum foris occurrentium injurias. Exercitatio pro viribus corporis convenit cuique sua. Ita profecto, ut CELSUS praecipit, exercendum membrum esse, quantum fieri potest. Nimirum senibus, quia parum virium superest, non nisi levissimae dimotiones conveniunt. Juvenes contra, utpote majore robore naturae fulti, partem sic affectam laboribus tuto durant. Recte enim a GALENO *) scriptum est; exercitari imbecillis partibus unico seni non licere, reliquos homines eo id confidentius posse facere, quo longius ab hujus absunt aetate. Porro frigus ob id utile censetur, quod calorem articulorum na-

*) Gal. 5. fan.

turalem intro compellens, adaugeat, quodque hoc modo membra communiat adversus cœli injurias. At nihil horum tentare convenit, ubi dolor increvit. Tum enim pars ante debilis, jamque insuper humorum influxu & dolore exercita ad extremum imbecillitatis pervenit, sic ut per ea tempora labor ac frigus magis imbecillam hanc facere possint, non possint robustam. Sub dio quies idonea est, quod nocturni aëris algore ad eum, quem retuli modum, firmentur. Tametsi id forte praeceptum Graecis atque Romanis, idque per aestatem accommodatius videatur, quam populis versus septentriones incolentibus. Venus (immoderatio scilicet) ante omnia fugienda est; nam optimam sanguinis particulam (PYTHAGORAS ἀφρον τὴ χρυσότητα αἵματος vocabat) detrahit, corpusque jam ante imbecillum inducta frigiditate, longe facit imbecillissimum. Quæ profecto causa est, quod *articulorum vitia*, ut author est HIPPOCRATES *nequaquam vel castratos, vel pueros ante fœminæ consuetudinem tentent.*

Imminenti autem huic malo nulla via melius quam concoctione occurritur, cujus ope fit, ut omnibus in utiles corpori succos converfis quam minimum excrementi in arti-

culis coeat. Ad hos enim, utpote natura debiliores non aegre demittitur, quidquid collecti in vasis superflui est. Subestque huic rei gemina difficultas, tum quod influentes materias articuli prompte admittant; tum quod admissas tardissime, maximoque negotio, rursus excludant. At vero iis corporibus, quae nullis urgentur superfluis, imbecillae partes semper in tuto sunt. Quam rem ita esse, hinc maxime sciri potest, quod non nisi statis quibusdam temporum intervallis, laborent. Nempe si sola (ut inquit GALENUS *) infirmitas id efficeret, perpetuo laboraret imbecilla pars, seu cui aegrotationis causa nunquam deesset. Ergo quibus id malum vere aut autumnis, temporibus ad hoc maxime propensis, revertitur, hos ante curioso victu cavere oportet, ne inutilis materia corpori superfit. *Quidam* (inquit CELSUS **) *cum toto anno a vino, mulso, ac venere sibi temperassent, securitatem totius vitae consecuti sunt.* Quo minus audire delicatulos istos oportet, qui libidine perdit, tum vino, in dies dapibusque graves, doloris remedium a nobis (si Diis placeat) exposcunt. Quasi vero expeditum sit,

*) Gal. 6. sanit.

**) Cels. lib. 4. cap. 24.

malum tollere, perseverante, quae id moveat, foveatque causa. Nimirum si hos semel juvare coneris, nihilo plus profeceris, quam si des operam, ut non obstructis fontibus flumen exhaurias; ipsis scilicet epulonibus antiquum obtinentibus, nec solitae, veneris amplexus, nec patris Bacchi calices postergare valentibus. Quid non, inquit GALENUS *), turpe sit propter articulare morbum, hominem ab aliis gestari, & suis ipsius manibus uti non valentem alienis egere, quibus ori cibos admoveat. At hos ventres non solum rei turpitudine non movet, sed nec ipsi etiam flectunt immanissimi cruciatus, quibus dies noctesque velut ab improbis tortoribus excarnificati contabescunt.

Ut concoctio autem omnibus vitiis occurrit, sic rursus aliis frigus, aliis calor. Quae sequi quisque pro habitu corporis sui debet. Frigus inimicum est, seni, tenui, vulneri, praecordiis, intestinis, vesicae, auribus, coxis, scapulis, naturalibus, ossibus, dentibus, nervis, vulvae,

*) Gal. 6. sanit.

cerebro; idem summam cutem facit pallidam, aridam, duram, nigram. Ex hoc horrores, tremoresque nascuntur. At prodest juvenibus & omnibus plenis, erectiorque mens est, & melius concoquitur, ubi frigus quidem est, sed cavetur. Aqua vero frigida infusa, præterquam capiti, etiam stomacho prodest. Item articulis doloribusque qui sunt sine ulceribus: Item rubicundis nimis hominibus, si dolore vacant.

Functionis omnis corporeæ author, ingenitus calor est. Hunc summa cura tueri semper oportet, ut valetudo tum prospera fervetur, tum adversa pellatur, qualiscunque hanc demum causa creavit. Non sic calor adventitius, aut frigus quibuslibet naturis ac morbis utilia sunt. Per se enim calor non nisi frigidis vitiis, frigus non nisi calidis subvenit. Itaque recte CELSUS docuit, calorem aliis vitiis succurrere, aliis frigus. Hoc (inquit) inimicum est seni homini, nimirum per se impen- se frigido. Item tenui, utpote non fat multa carne adipeque adversus ejus qualitatis vim communito. Obestque præterea vulneri, quo-

niam id nudatam musculorum substantiam, tum alterando, tum valida frictione dividendo, vehementius afficit, nihil alioqui tale effecturum integra existente super musculos cute. Praeterea inimicum est intestinis, utero, vesicae, reliquisque ejus ordinis partibus exangui- bus, ob ingenitam ipsis frigiditatem, quae simili qualitate cito crescit in immodicum. Omnia enim paribus suae intemperiei causis celerime afficiuntur. Ad haec frigus cutem facit pallidam & nigram seu lividam, compulsis ab ejus occursum in viscera sanguine, spiritu, atque calore, quae simul omnia extimo corpori εὐχρίαν atque efflorescentiam impertiunt. Quemadmodum enim sol res omnes, quas irradiat, multi splendoris gratia speciosiores facit; sic vitalis in nobis calor, una cum sanguine spirituque purissimo ad exteriora vectus, floridissimo colore cutem commendat; ut contra absentibus his, universum corpus pallore quodam, veluti cadaveratum, decorem omnem amittit, cujusmodi faciem in iis conspicari est, quos aut brumalis aura asperrimo frigore excussit, aut longior invaletudo exhaustit. Jam vero non lividam tantum, sed & aridam cutem frigus efficit, idque partim impedita sanguinis in habitum commutatione, partim expressis, qui subtus cutem erant, ma-
dori-

doribus. Stringit enim frigus densatque corpora tanta vi, (ut teste HIPPOCRATE *) & *venas rumpere, et tusses excitare* solitum fit. Ariditati cutis jungitur durities, idque fit duobus fere modis, alias universa ubique cute asperata, alias duris in ea ortis tuberculis, quæ a frigore quoque excitari posse HIPPOCRATES **) in Epid. author est: quando nimirum crassi, lentive humores subter cutem, externo frigore adstrictam, uberius collecti vix transpirant, sed intus coacti in scirrhusa quædam tubera concresecunt.

Proxima nunc est de rigore, & post hunc de tremore disputatio. Rigor symptoma est depravatæ motionis, fitque ab inæquali intemperie calida seu frigida, cum materiæ alicujus affluxu, aut sine hac, violentius partes sensibiles percellente. Luculenter autem hoc ipsum in intermittentibus tertianis apparet, transeunte per musculos bile; tum etiam in otiosis quibusdam mulieribus, quæ vim pituitæ vitreæ nimia desidia cumularunt. Idemque symptoma eosprehendit, quibus confertim fervens aqua, aut præfrigida superin-

*) Hipp. lib. 5. Aph. 24. & 6. Epid.

**) Hipp. VI. Epid.

funditur: adhaec, quibus collectos in habitu putres humores balneæ, sol, venus, aut quid his non dissimile commovit. Atque hæ causae si leniores sunt, horrorem movent, affectum, sola remissione a rigore, non alio dissidentem. Tremor ipse quoque voluntarii motus symptoma, ex hujus nascitur imbecilla virtute; sic ut satis valide neque attollere ea membrum possit, neque extantum servare. Estque hic motus compositus ex facultate membrum sustentante, & innata ipsi gravitate deorsum id agente. Imbecillitatem hanc (authore GALENO*) tria inferunt. Intemperies, quam hic proposuit author, frigida animi pathos, & grave onus. Intemperies, alias una cum materia obstruens, alias sine hac constringens claudensque occultos musculorum recessus impedit, quominus expedite animalis facultas spiritu motivo vecta in hos penetret, decentemque motionem cieat. Jam ut intemperies vehemens omnis, sic frigida quoque nullam non virtutem debilitat, ut nihil mirum sit, ex ea corpus intremiscere: quod symptoma senibus ob id familiare est; nec non juvenibus vehementer refrigeratis, aut cruditate ex vino, multo cibo, aut defi-

*) Galen. 5. de caus. sympt.

dia vexatis. Ista enim omnia virtutem ob-
 terunt. At pathos animi praecipue tremo-
 morem movet, grandi metu debilem animum
 exterrete, ut cum quis imperatorem, aut gra-
 vem majestate senatum oratione compellatu-
 rus, neque mentis officium, neque corporis
 sentit. Idemque symptoma iis etiam frequens
 est, qui per loca eunt altissima, viarum cre-
 pidine, ac praecipiti despectu terribilia. Res-
 tat grave onus, quod non ante induere rigo-
 rem solet, quam bajulantis superet robur. At-
 que haec quidem de motus voluntarii sympto-
 matis dixisse sufficiat. Nunc ad eos tranabo,
 quibus frigus praesidio est.

Hos esse **CELSUS** juvenes affirmat, si
 pleni sunt, seu carnosos, quibus colorem inge-
 nitum frigus ex accidente fuscitat, contrusum
 scilicet ad viscera, copiaque illic ac viribus
 auctum suis. Cujus rei causa & erectior (ut
CELSUS ait) mens est, & melius concoqui-
 tur, aequo profecto, ut per hyemem fieri so-
 litum est. Scite autem diserteque admodum
CELSUS dixit: ubi frigus quidem est, sed ca-
 vetur; indicans videlicet, id quidem juveni-
 bus esse non inutile, at cavendam tamen esse
 ejus nimietatem. Quod enim frigus semel pro-
 futurum corpori est; viribus ejus superius sit,

oportet; alioquin calorem extinguit potius, quam auget. Quod praeceptum omnibus particulis fuerit commune, quæ frigido juvantur. Ex quo incidit, ut stomacho jejuno crudum ructanti, itemque corpori senili, tenui, idque saeviente bruma potui data, aut infusa frigida, tum ipsum quoque cœlum inimicum sit. Quin etiam non capiti solum, sed etiam ventriculo infusa frigida conducit, modo genuinus horum calor gelidi elementi potentia non violetur. Neque vero facile in adolescente carnosio æstivis horis violabitur, cujus ventriculo, praeter has commoditates, dextra hepar, sinistra lienis supra cor, ac diaphragma ante abdomen adsistunt, fidissimi insiti in eo caloris custodes. Cæterum magna cura opus est, ne frigida sua qualitate ventriculum, aut præcordia afflicteret, quod fieri admodum proclive est, quoties ea asperrima, ac veluti tota glacialis est, quod incommodum diligenter notavit HIPPOCRATES*), sic inquiens: *Frigida, veluti nix, et glacies pectori inimica tusses movent, venarum ruptiones, et destillationes efficiunt.* Jam quod frigida infusio articulos juvet, & id quoque ante CELSUM prodidit HIPPOCRATES**) in hunc modum:

*) Hipp. lib. 5. Aph. 24.

**) Hipp. loc. cit. Aph. 25.

*Articulorum tumores et dolores sine ulcere, atque etiam podagricos, et convulsiones magna ex parte large effusa levat, et extenuat, solvitque dolorem; quae res quomodo accidat, supra passim a nobis demonstratum abunde est. Quod de doloris levamine author scribit, id non de arthritide tantum, sed etiam de quavis alia recenti phlegmone intellexeris. Affluentes enim materias frigida repellit, eoque modo dolorem placat. Potest idem & de erysipelate dictum putari, itemque de quibusdam deflagrationibus, quae particulas diffuso circum circa splendenti fervidoque sanguine exurunt. Batavi a calore, ROSAM (ni fallor) id malum; HIPPOCRATES *) πικρόφλογισμα appellat. Sic enim in Aphorismis loquitur. *Frigido vero in his utendum in quibus sanguis profluit, &c.* & paulo post hæc, καὶ ὀκόςαι φλεγμονι, ἢ ἐπιφλογισματα εἰς τὸ ἐρυδρόν καὶ ὑφαίμον ῥέποντα νεκρῷ αἵματι. Quippe hoc orto affectu, infusa frigida ardorem afflictae partis abolet, pariaque in erysipelate præstat; nisi id tamen sit ulceratum. *Frigidum enim, ut parens medicinae docuit, ulceribus mordax est. **)**

*) Hipp. lib. 5. Aph. 23.

***) Hipp. lib. 5. Aph. 20.

Calor autem adjuvat omnia, quæ frigus infestat: item lippientes, si nec dolor, nec lachrymæ sunt: nervos quoque, qui contrahuntur; præcipueque ea ulcera quæ ex frigore sunt. Idem corporis colorem bonum facit: urinam movet. Si nimius est, corpus effœminat, nervos emollit, stomachum solvit. Minime vero, aut frigus aut calor tuta sunt, ubi subita sunt. Nam frigus lateris dolores aliaque vitia: frigida aqua strumas excitat. Calor concoctionem prohibet, somnum aufert, sudorem digerit, obnoxium morbis pestilentibus corpus efficit.

Contrariarum causarum contrarii (quantum in ipsis est) effectus sunt, prout quibus frigus inimicum, iis gratus calor est. Dixi quantum in ipsis est. Nam multis vitiis frigus subvenit, quibus calor non obest. Propria vero officia caloris sunt, densa rarefacere, crassa attenuare, dura emollire, adstricta laxare, impactaque tum coquere, tum digerere. Quo minus mirum sit, ea omnia facere ipsum posse, quæ CELSUS hoc ordine commemorat. Ergo lippientes, hoc est ophthalmia vexatos

calor adjuvat, si neque dolor, neque lachry-
 mæ sunt inclinata, nimirum inflammatione, ac
 discussa, quæ loco affecto cocta insedit, ma-
 teria. Per dolorem ac lachrymas, morbi cru-
 ditas notatur. Ille enim vigorem nondum
 exspirasse, ac forte nec fluxionem quoque ces-
 sasse, hæc nihil coctionis in loco factum de-
 nunciant. Quippe sub hoc lachrymarum no-
 mine tenuem illam faniem, quæ ab impres-
 sis sedi humoribus exudat, author significavit.
 Aquosum enim tenueque facile exprimitur;
 crassum vero fixius inhaerescit. Per hæc tem-
 pora, si quis calidum inflammatis oculis admo-
 verit, hoc nomine peccabit, quod non tan-
 tum insidentis loco materiæ sit exempturus,
 quantum novae eodem attracturus; utique si
 nondum missus sanguis, aut ducta alvus est.
 Proin fracta nondum phlegmonis vi, sed &
 perseverante etiamnum fluxione, reprimentia
 aptiora sunt; neque ante calidum, sive fomen-
 tum, sive balneum esse utile potest, quam inu-
 tilis nulla corpori supersit materia, totaque
 maturuerit inflammatio. Cujus rei nota ut
 crassior promanans pituita, sic deficiens dolor
 lachrymaeque sunt. Quippe simile quid hic
 accidit, quod in coryza, ipsaque etiam pleu-
 ritide animadvertere est, per quorum morbo-
 rum initia tenuis humor exit, crudus plane,

instarque lachrymæ tenuis; post vero, adæquata per concoctionem materia, levis, albus crassusque vacuatur, certissimus & concoctionis & futuræ salutis index. Cocta hæc in oculis fordes, CELSO *) pituita vocatur; lachryma non item. Nam alias inter utrumque evidentia discrimina posuit. Jam vero ut calidorum usurpatio vigenti oculorum inflammationi nunquam prodest; ita tum demum perniciofa est, cum acris tenuisque pituitæ cursus in oculos fertur, sub quo casu lachryma fervens, multaque profluit, caput calet, a temporibus ad oculos dolor pervenit, nocturna vigilia urget. Tum igitur admotis calidis potius concitatur eo pituita, quam minuitur; quin & oculus ex hoc plerumque extra intrave rumpitur, ac votum est, ut tantum exulceretur. Non potui mihi temperare, quin locum hunc paulo subtilius excusserim; cum non deesse sciam, quibus is visus est, admodum nodosus, ac tantum non inexplicabilis. Nunc ad ea, quae ordine sequuntur, veniam.

Calor quoniam discutit, relaxatque, distentionem nervorum σπασμον græce dictam, ju-

*) Cels. lib. 6. cap. 6.

vat, itemque ea ulcera, quae ex frigore sunt. Idem iis, qui calorem decoremque amiserunt, *ἐυχροίαν* conciliat. Urinam cit, non quidem foris incidens (nam tum magis sudorem digerit) sed intus potius luxurians, quoniam humores tenuat, fluxos mobilesque reddit. Idem si nimius est, corpus effœminat, quia triplicem corporis nostri substantiam dissolvit, idque adeo saepe valide, ut hinc anima deficiat, viresque ex toto corruant, & ut ait HIPPOCRATES*), *ταῦτα οἰσι θάνατος*. Stomachum solvit, quoniam laxat; nervos emollit, quia fundit. Frigora & calores nihil aequae, ut subita variatio facit perniciofa. Sic enim frigus pleuritides creat, quum humores calore ante fusos, in latus exprimit. Pariterque strumas excitat, quoties liquata caloribus excrementa, & in cutem evocata, adstringit intusque cohibet. Exprimitur enim frigore, quod tenue est; indurescit, in schirrhumque degenerat, quod crassum ac dissipationi rebelle est. At calor concoctionem prohibet, quia laxat, id quod de aëre magis, quam eduliis intelligendum est: haec enim nisi immense sint calida, concoctionem etiam juvant; ille nunquam fere non impedit. Adhaec calor

*) Hipp. lib. 5. Aph. 16.

somnum aufert, quia consumto humori succedere siccitatem facit; sudorem digerit, quoniam humores tenuat, permovetque, & habitum rarefacit. Obnoxium corpus pestilentibus morbis efficit, quia putredinem in humoribus ex facili creat.

CAPUT X.

Observatio in pestilentia.

Est etiam observatio necessaria; qua quis in pestilentia utatur adhuc integer, cum tamen securus esse non possit. Tum igitur oportet peregrinari, navigare. Ubi id non licet, gestari, ambulare sub divo, ante æstum leniter, eodemque modo ungi, & ut supra comprehensum est, vitare fatigationem, cruditatem, frigus, calorem, libidinem; multoque magis se continere, siqua gravitas in corpore est: tum neque mane surgendum, neque pedi-

bus nudis ambulandum est, minimeque post cibum aut balneum. Neque jejuno, neque cœnato, vomendum est: neque movenda alvus; atque etiam, si per se mota est, comprimenda est. Abstinendum potius, si plenius corpus est. Itemque vitandum balneum, sudor, meridianus somnus, utique si cibus quoque antecessit: qui tamen semel die tunc commodius assumitur; insuper etiam modicus, ne cruditate moveat. Alternis diebus invicem, modo aqua modo vinum bibendum est. Quibus servatis, ex reliqua victus consuetudine quam minimum mutari debet. Cum vero hæc in omni pestilentia facienda sunt, tum in ea maxime, quam austru excitarint. Atque etiam peregrinantibus eadem necessaria sunt, ubi gravi tempore anni discesserunt ex suis sedibus; vel ubi in graves regiones venerunt. Ac si cætera res aliqua prohibebit, utique abstinere debet: atque ita ab vino ad aquam, ab hac ad vinum, eo, qui supra positus est modo, transitus ei esse.

Tota hæc de peste narratio prophylactica est, cujus comprehendere summa sub tribus præceptis potest. Primum caveatur, ne qua virium imbecillitas urgeat: dein ne qua sit humorum ad concipiendam putredinem aptitudo: ac tertio, ne noxio recipiendo aëri corpus, reclusis nimium poris, expositum sit. Nam quoniam hoc mali genus propria quadam antipathia, cor spiritusque vitales impetit, utique sedulo providendum est, ne his infirmis contagium corpora occupet. Tum quia præcipua morborum occasio, succorum est ad hos aptitudo, curandum est, ne quid venis impuræ superfit materiæ. Postremo habenda cura est, ne habitus, qui totus undique perspirabilis aëri est, sine modo rareseat, atque malo (ut dicitur) fenestram aperiat.

Hac regula, velut in conspectum adducta, cognitisque iis generibus, quæ vires labefactare, vitiare succos, aut rarefacere corpora consueverunt: promptum cuique erit perspicere, quid sub pestifero cælo secundam valetudinem, quid adversam faciat. Ergo sæviente hac lue, peregrinari oportet atque navigare. Nam cælum nusquam perperam mutatur, quod morbum creat. Sed & nulla præsentior pestilentiae medela fuga est. Hujus ubi nulla facul-

tas est, ambulatio sub dio, & ante aestum utilis est. Dissipatur enim hoc modo, siquid inutilis materiae corpori superest. Tum ungi quoque posthaec; non alienum est, nam rarefactus ambulatione habitus pinguedine occluditur; sic ut non promptus in corpus contaminato aëri sit introitus. Fatigatio, libido, cruditas, frigus, calor, non alia de causa nocent, quam quod succos vitient, & vires nimium convellant. Si grave esse corpus caepit, continendum id altissima in quiete est, ne male conditos humores, turbatio graviori incommodo perdat. Sed nec mane admodum e lectulo surgere tutum est, quando nondum sole perpurgatus aër, in noctis ac naturæ vaporibus pestilientior est. Neque vero nudis pedibus (ut moris erat Romanis) prodire convenit, ne quo frigore post calorem corpus repente moveatur, quae res ad conciliandam pestem (ut alias proposuimus) plurimum potest, ac veluti viam sternit, soletque tum potissimum incidere, cum sumtus cibus calorem intro revocavit, aut balneum corpora rarescit.

Jam neque famelico neque saturo idoneus vomitus, aut ducta alvus est. Nam cum turbatis, tum disjectis spiritibus vitalibus, itemque sto-

macho relaxato, natura patitur: passa (ut modo comprehensum est) protinus malo cedit, ac veluti manum dat. Eiusque rei causa si venter fufus est, comprimendus est. Tametsi illud vacuandi jus, ut effrænatis pharmacis antiquorum negatum, sic nostris longe clementioribus tributum sit. Nam si venis cacochymia subest, quid vetat, quo minus licenter sine turba hæc auferatur? Si cibus intus computruit, aut contracto acore vitiosus est, cur nefas sit, hunc supra infrave extundere, cur non ejus colluviem venis eripere, qua semel imbutis id vitiatum cœlum est, quod oleum igni est. Ut vero non diffiteor, si quis plenior est, abstinentiam his omnibus, ubi validis remediis tentantur, præstare; ita contra adstruo cedere si his moderatio ac placida vis subest.

Vitandum balneum ac sudor est, quoniam ambo hæc corporibus partim dissipatis vires consumunt, partim rarefactis facilem aëri noxio, ad viscera accessum præbent. Meridianum somnum, si is in jejuno fit, subsequens extenuatio; si post cibum, cruditas formidabilem facit. Cibus ita ponendus est, ut neque inedia bilis, neque saturitate pituita cumuletur. Utrumlibet enim succos vires-

que laceffit. Forte ergo Romanis femel, nobis bis esse abunde est. Interpositis temporibus invicem modo aquam bibere, modo vinum oportet, ne aut per illam cruditas, aut ex hoc ardor aliquis oriatur. Atque hæc est; vivendi ratio per pestilentiam necessaria, ut immunis inter tot pericula valetudo sit, summoque hæc studio tum demum observanda est, cum austrum nimio calore humiditateque gravem auram reddiderunt. His enim ventis cælo imperantibus, cum loca facillime pestis occupet, tum ægerrime deserit.

I N D E X

R E R U M E T V E R B O R U M.

A.

A bstinentia nimia quid noceat.	115
Aceti vis.	174
Acetum omnium tenuissimum.	175
Adolescentia.	259
Aër fugiendus quis.	132
— inconstans quid noceat.	133
— infalubris propter vicinum flumen.	ibid.
— qualis cruditati idoneus sit.	124
— quis omnibus æque naturis profit.	127
Aëris mutatio periculosa.	129
— præcipua dos serenitas.	132
— vis ingens ad mutanda corpora.	38
Ægris atque longævis aut quies, aut non nisi levis motus idonea sunt.	105
Æstate corpus calorque dissolvitur.	282
— edendum sæpius, at parcius.	ibid.
Æstus magis inani quam pleno nocet.	126
Agendum nihil post satietatem.	124
— quid post vomitum.	225
Alimenta crassi ac valentis succi.	118
Alimento intus corrupto aut corrumpendo vo- mitus utilissimus.	161

Ali.

- Alimentum natura non malum, copiosius tamen
 ingestum, calorem insitum opprimit.... 60
- Alimentum trahentes particulæ famelicis
 equis perfimiles. 54
- tribus de causis intus computrescit.... 160
- Aloë lota plus roborat, sed purgat minus,
 illota contra. 240
- purgantibus omnibus miscenda. ibid.
- Aloës eximiæ dotes. 239
- Alvi ductio pharmaco petita nonnunquam
 sanis necessaria. 240
- fex per Os reddita. 221
- Alvo diutius compressæ quæ superveniant
 noxæ. 233
- fusæ frigida inimica. 159
- suppressa inflammationes increscunt. 234
- Alvum siccatam quomodo Gal. solverit.... 256
- solventia. 253
- Alvus dura. 197
- & Vesica ante exercitationem levanda. 99
- quibus auxiliis sanis ducenda.... 235
- unde comprimatur. 251
- Amaritudo oris. 219
- Ambulatio. 323
- matutina. 314
- quam vim habeat. 105
- Ambulationis quod genus salubrius. ibid.
- Amor venereus extenuat. 206
- Analepticon ex assis carnibus remedium. 287
- Analogia nostri caloris cum ignis flamma,
 & alimenti cum ejus fomentis. 123
- Animam ex frigore multi amiserunt. 124

Z

Animantibus cur somnus sit a natura tributus.	141
Animi securitas.	198
— subtilis, & crassi ventris difficilis co- pula.	38
— turbati pathemata corpus omnia exte- nuant.	204
Animus a cibo laxandus est.	97
— ejusque affectus in corde consistunt. ..	203
Apothepia nulla non post labores tentanda.	111
Appetentia animalis.	256
Aqua calida alias implet corpus, alias ex- tenuat.	201
— quam frigidissima.	246
— falsa calefacit.	244
— vorax Hippocratis quid sibi vult.	83
Aquæ incommoda.	165
— potus capiti infirmo utilis.	280
Aquam frigidam bibere quibus conveniat. ..	75
Arii Peripatetici Historia frigidam præter so- litum bibentis.	51
Arma quam vim habeant.	105
Arthriticis frigus conducibile.	340
Arthritis quid & ejus species.	339
Articularis morbi causæ quæ, & quæ prophy- laxis.	ibid.
Articulis imbecillis exercitatio utilis.	ibid.
Asclepiades purgationem nihil ad sanitatem conferre docuit.	241
Athletarum animus hebes.	60
— cibus quomodo noceat.	ibid.
— habitus periculofus.	ibid.
Athleticorum laborum finis.	59
Athleticos labores Celsus jure condemnavit. ..	ibid.

Avicennæ ratio in ponendo cibo rejicienda est.	55
Aurium sonitus.....	219
Austri difficilem pestem invehunt.....	351
Author omnis functionis calor.....	337
Autoris sententia qui intelligenda sit.....	30
Autumni temperatura.....	289
Autumno cibus plenior convenit, & quibus de causis.....	293
— & minus & meracius est bibendum....	294
Autumnus quid reddat periculosum.....	295
Autumnus periculosus.....	ibid.
Auxilia adversus imminentem podagram....	337
— quibus Coli doloribus occurritur.....	321

B.

Bacchus Podagræ Pater, nutrix Venus.....	67
Balnea continua alvo fusæ inimica.....	349
Balnearum atque unctionum Apothera- pica- rum vis.....	112
Balneæ calidæ ad quæ conferant & ad quæ frigidæ.....	45
— dulces & unctiones fatigatis utiles....	147
— gravi tempore vitandæ.....	325
Balneæ neglectæ a populis Septentrionalibus ejus ratio.....	46
— saturis officiunt.....	147
Balnei partes quinque.....	148
Balneis & unctionibus uti potest.....	44
— iis supersederunt nostræ ætatis homines. ibid.	
Balneum fervens fatigatis contrarium.....	152
— jejunis adhibitum.....	245
— jejunos emaciat.....	200

Balneum quando fatigatis administrandum...	150
Batavi quid Rosam vocant.	341
Bellaria.	119
Benedicta quæ barbarorum scholis sunt ap- pellata:	211
Benevolentibus non est opus Medico.	34
Bibendi ratio quæ observanda sit.	35 ¹
Biliosis fames & tarda & gravis est itidem & senibus.	258
— quæ contraria, quæ item Pituitosis.	35
Bilioso Stomacho quid utile.	329
Bilis in ventriculum effusæ signa.	144
Bruta tempore veris coitum magis appetunt, & magis foeta sunt.	281

C.

Calefacientia quæ.	242
Calida frigidaque in intemperie contraria da- re expedit.	186
— lotio cur pueris & longævis utilis.	266
Calidum duplex.	185
Calor accessu alimenti augetur.	245
— Auctor omnis functionis.	337
— motu excitatur.	39
— naturalis natura appellatur.	178
— — duplex.	ibid.
— quando lippientibus præsidio sit.	342
— vitalis quid.	179
— utilis quibus.	343
Caloris & frigoris subita alternatio quæ ma- la inferat.	349
— nimii incommoda.	ibid.

Caloris opera quæ	345
Calorem insitum quid opprimit.	60
— quodnam alimentum augeat.	245
Capite catarrhoso nequaquam aquæ aut loca mutanda.	312
— imbecillo Unctio balneis anteferenda..	309
— infirmo cibus parce raroque offerendus.	307
Capiti imbecillo quale vinum idoneum.	308
— infirmo aquæ potus utilis.	ibid.
— cur frigida infusa utilis.	306
— Luna vitanda.	302
— omnis negociosa actio inutilis, id- que a cibo pottissimum.	308
— Sol inimicus	301
— solum noxium.	302
— sole exusto quomodo prospiciendum. . .	171
Capitis affectus cur difficiles.	290
— dolor in jejunio	301
— imbecillitas unica est propinqua causa.	300
— vitio tam frigido quam calido frigida opitulatur.	306
Caput citissime excrementis per somnum op- pletur, & quare.	56
— debile nunquam ad cutem radendum, ut nec onerandum nimia coma.	300
— primum tepida dein frigida aqua lavandum.	304
— offendit vomitus.	308
— fit grave sub Luna dormientibus, & san- guis e naribus stillat.	302
— imbecillum per hyemem minime dete- gendum	301
— quæ firment.	ibid.

Carnes non temere rejecit Pythagoras.	244
Carnis usus corpus calidum, animum fero-	
cem efficit.	243
Carnosa quomodo calefaciant.	244
Caro assa cicurum animalium nimiis dejectio-	
nibus idonea.	242
— — — debeat nec ne elixæ per Æstatem	
præferri.	245
— ferarum ventri fluenti utilis, itemque	
pisces duri.	243
<i>Καταρροσ</i>	509
Catharris obnoxii Romani.	508
Catharros quæ causæ moveant, & quomodo	
hi arceantur.	509
Catharros omnis animi aut corporis actio	
a cibo inutilis.	508
Celsus de quo doloris genere agat.	241
— nimis violenta exercitia præterit.	106
— suæ cuique valetudinis tuendæ ratio-	
nem proponere constituit.	52
Cephaleæ frigida subvenit.	509
Cibi copia immodica.	160
— exhibendi generale præceptum.	265
— genus repente mutatum nocet.	157
— qualitas inepta.	161
— — — per æstatem frigida & humida.	282
— sumendi ordo præposterus, aut nimia	
varietas.	160
Cibo pravo propter assuetudinem non offen-	
duntur pauperuli.	157
Cibo in Stomachum recepto, calor introfertur.	144
Ciborum ordo quis servandus in mensa sit.	117

Cibus alteratur & a corpore, & id ipsum al-	
terat.	52
— Athletarum quando noceat.	59
— bis die sumptus utilior est.	53
— imminutus.	253
— nonnisi semel per diem sumptus.	ibid.
— plenus & frequens.	200
— post pocula noxius.	122
— quaque comestionis vice quamplurimus	
potest concoqui, sumendus est.	54
— quis utilis a vomitu.	230
— varius aut duræ concoctionis adhæc ju-	
rulenta, & olera alvo fluidæ inimica ..	316
Clara lectio.	296
— — quid commodi adferat.	102
Cælo cuivis assuescendum est.	50
Cæna parca quibus utilis.	56
Cænæ tria ad concoctionem adminicula.	58
Cænandum quando largius.	ibid.
Colici doloris causæ quæ.	319
— — Celsus de quo genere agat.	318
Coli doloribus dulcia inimica.	319
Concoctio.	334
— assiduæ lassitudinis remedium.	164
— quare post longiorem famem evertatur,	
idque tam in hepate, quam in ventriculo.	54
Concoctionem somnus quomodo juvet.	141
— suam quæque particula tantum perfice-	
re, non alterius emendare potis est.	111
Concoctionis malæ ructus index.	76
Concubitus frequens quomodo intelligendus.	67
— immodici incommoda.	ibid.
— interdiu pejor, tutior noctu.	63

Concubitus neque concupiscendus neque pertimescendus.	ibid.
Condita rejicienda.	118
Conquiescendum hyeme totas noctes est. ..	97
— a labore aliquantisper antequam cibus sumatur.	113
Conservatio similibus, curatio contrariis per- ficitur.	182
Consueta minus afficiunt.	33
Consuetudo altera natura.	34 & 99
— bibendi auget aviditatem.	117
— nihil non potest.	140
— repente mutata sanis obest.	134
— subito mutata naturæ molesta.	129
Corpora neutra inter salubria & insalubria media quo pacto regi oporteat.	36
Corporis difflationem promovet vigilia.	56
Corpulentia duplex.	115
— ex multo fit sanguine.	195
Corpus quæ impleant.	ibid.
— — refrigerent.	246
— undique transpirabile est.	250
Cotyle.	227
Creta figularis.	252
Cruditati adversatur Venus motusque om- nis alius.	68
— motus inimicus.	85
— qualis aër sit idoneus.	86
— quæ nocumento.	ibid.
— — præsidio sunt.	ibid.
Cubile molle.	199
Cura corpus conficit.	203
Curæ quomodo corpus tabefaciant.	206

Curatio ejus qui perfrigit in itinere.	171
Curfus quam vim habeat.	104
Cyathus.	229

D.

Deambulatio aspera, imbecillis contraria... ..	104
— lenis bilioso conducibilis.	108
Defatigatis frigidae lavatio inutilis.	153
Democritus Venerem expulit.	62
Dejectio pharmaco petita quando utilis. ..	232
Destillatio seu Catharrus.	311
— unde & quae pericula adferat.	56
Destillationes quomodo & quando maxime fiant.	94
Destillationibus capiti obnoxio infusa frigida utilis.	311
Destillationis pericula.	310
Devorare facilius est quam revomere.	222
Dialoes medicamen.	241
Difficilis sanitatis tutela, quam negotia im- pediunt.	98
Discernendum inter eos quos fames citius urget, & quibus pejus nocet.	257
Discrimen sanitatis & morbi.	29
Dolor praecordiorum.	328
Dulcia cito obstruunt.	199
— coli doloribus inimica.	321
— & pingua.	209

E.

Edendi bibendique ratio quæ observanda sit.	323
Edendum hyeme rarius.	275
Effluvia naturæ somnus sistit, ac proni excrementa accumulatur.	57
Emetica blanda.	225
— mediocria.	ibid.
— violenta.	ibid.
— — antiquorum sanis fugienda, ægris raro sumenda sunt.	227
Emeticorum duplex ordo juxta Celsum.	226
Empiricorum detestanda nequitia.	236
Enemata per os reddita itemque alvi fex.	222
Epicuri & Democriti de usu Veneris Sententia.	62
Epulis sumptis non protinus dormiendum.	122
Error ab Hippocrate exploditur.	71
— Æginetæ.	70
— commissus in victu, multos anniverfariis morbis implicat.	50
— eorum qui se a cibo exercent.	123
— Fufchii in præscriptione cibi Vernalis.	178
— Medicorum vulgarium.	234
— Neotericorum in distinguendis ætatibus.	261
— nimis tenuis Dietæ gravior, quam qui nimis plenæ est.	175
Esse hyeme confert plurimum.	270
Excrementorum ex una parte in aliam defluxus periculofus.	298
— expurgatio.	40
Exercitatio ante cibum adeunda.	99
— autore Asclepiade non conducit ad fanitatem.	48

Exercitatio est vehementior motus.	43
— matutina siccatur.	25
— modica.	197
— vehemens corporis molem atterit.	208
Exercitationes simul & opera.	102
Exercitationis apta tempora ex urina petuntur.	100
— facultas.	99
— omnis præceptum generale.	110
— partes tres.	116
— suus cuique modus servandus.	101
— triplicia commoda.	39
Exercitationibus aliis pila prævalet.	102
Exercitationum genera ac vires.	ibid.
Exercitio quis sudor finem imponat.	113
Experrectis os eluendum frigida.	94
Exsiccatissimus somnus utilis, vigilia inimica.	144

F.

Facientibus iter, ardor solis, & frigus nocent.	170
Facultas exercitationis.	99
Fames quomodo excitetur.	257
Fatigatio assidua quando fiat.	164
— una alteri est medela.	167
— usu novi laboris levatur.	160
Fatigatis balneæ dulces & unctiones utiles. .	148
— humectum nutrimentum idoneum.	156
— inutilis frigida lavatio.	153
— itinere quæ convenient.	165
— opus tenui cœna.	174
— os frigida a balneo fovendum.	153
— quæ potio conveniat.	157

Fatigatis quomodo balneum administrandum	151
— sessione quomodo subveniendum.	174
— folium fervens contrarium.	152
— sudor inutilis.	154
— unctio utilis.	125
Fauces cur vomendo exasperentur.	224
Formati male quibus rebus lædantur.	35
Frictio lenis.	302
Frigida alvo fusæ inimica.	160
— cur inani ventriculo noxia fit.	80
— dolentibus præcordiis cur inutilis.	83
— experrectis os eluendum.	94
— potio alvo ad fluorem proclivi, utilis.	318
— — jejuno imbecilloque stomacho inu- tilis.	323
— potui data ex labore sudantibus perni- ciosa.	157
— quibus inutilis.	159
— — utilis.	47
— urgente crudo ructu post cibum, porri- genda.	81
Frigidæ lavatio cur siccet.	252
— — defatigatis inutilis.	153
— potio quomodo crudo ructui succurrat.	80
— potui quæ reclamant.	159
— potus itinere fessis inutilis.	158
Frigidam a balneo haurire non est alienum. <i>ibid.</i>	
— Galenus ipsis etiam pueris a cibo con- cessit.	82
— præter solitum bibentis Arii Peripatetici historia.	51
Frigiditas ex se nobis inutilis.	185

Frigiditas siccitasve temperamenti nusquam recte servantur.	183
— temperamenti semper abolenda.	185
Frigidum ex se nulli functioni utile est.	124
Frigore cutis durefcit.	338
— multi animam amiserunt.	125
Frigoris incommoda.	137
— violenta potentia.	138
Frigus Hyemis modicum.	198
— iter facientibus nocet.	169
— magis inani quam pleno nocet.	126
— quibus conducat.	340
— — inimicum.	337
Fructibus ornanda luxus nostrorum in mensa secunda.	121
Fructus fugaces seu temporarii.	291
Fuga remedium optimum pestilentiae.	132
Fusi ventris maxima commoditas.	234
G.	
Galenii incuria.	188
— parum firmi in lib. 1. Aph. 13. interpre- tatio.	262
— sententia de urinis.	80
Galenus de iis quæ agat natura.	37
— — de usu parvæ spheræ.	102
— gravia ruri interdum opera exhaustit.	112
Graciles & ad vomendum faciles superne purgare convenit.	222
Gracilibus non statim a cibo lavandum.	198
Gracilitas quid & unde contrahatur.	164
Gravedo ceu <i>κόρυζα</i>	311

Gula per acidum vomitum exasperata quid
agendum. 230

H.

Hecticos cur in frigidam deduxerit Galenus. 154

Helleborus sanas habentibus carnes periculo-
sus. 211

Hippocrates acute febricitantibus vinum quan-
doque indulgit. 331

— in speciem Celso contrarius quoad ine-
diæ tolerantiam. 258

Hippocratis libro primo Aph. 13. maximi usus
est. 264

Historia cujusdam pituitam vomentis. 227

Homo arbor quasi subversa. 300

— sanus quis. 29

Humidi magis vitales. 187

Humiditas quandoque corrigenda. ibid.

— similem fere victum poscit. 186

Humido alimento senes, hectici & morbis ex-
hausti reficiuntur. 289

Humoris impetus fluentis sequendus. 215

Hyeme cibus calidis ac poculis utendum. .. 275

— meracius ac parcius bibendum. 273

— totas noctes conquiescendum est. 97

Hyemis modicum frigus. 211

I.

Jejunant omnium facillime quinam. 258

Jejunium vernum medice quoque non tantum
pie institutum. 277

Ignavi & sedentarii ventres crudelibus mor- bis consumuntur.	43
Ignavia nostrorum hominum quanta sit.	45
— quare valetudini noceat.	38
Inane corpus quodnam Celsus vocet.	128
Incommoda quæ immodici concubitus	66
Incrementes liberalius nutriendi.	167
Inedia pituitosis prompta & utilis.	257
— quibus maxime infesta sit.	258
Inediæ causa primaria.	256
— ac laboris gravis copula.	128
— incommoda.	53
— symptomata severiori supervenientia ..	174
Inertia motionis instrumenta enervat, labor firmat.	139
Inflantia Colo dolenti inimica.	321
Inpransi præter solitum quomodo reficiendi.	158
Inpransis quæ noxæ præter morem accidant.	155
Intemperantia in cibo levior quam in potione est.	115
Intemperantiæ minor in cibo occasio quam in poculis est.	116
Intemperata cruditati nocumento sunt quo- modo.	86
Intemperati similibus facile læduntur.	35
Intemperies inæqualis.	319
Intestinis quare dolor adeo gravis accidat. ibid.	
Invidia cur aliquis macrescat.	206
Ira quid & quomodo extenuet.	ibid.
Iter facientibus, ardor solis, & frigus no- cent.	169
Itinere fessis potus frigidæ inutilis.	158

Jucunda naturæ.	177
Juventus tertia ætas.	260
L.	
Labor.	253
— & sobrietas optimi sanitatis custodes.	43
— firmat motionis instrumenta, inertia ener-	
vat.	140
— gravis pituitoso conducibilis.	115
— magis inani quam pleno nocet.	126
— nulli non necessarius est.	42
— somnum conciliat.	142
Laborem eundem solitum melius fert senex,	
quam adolescens insolitum.	41
Labores Athleticos jure Celsus condemnavit.	60
— quando finire oporteat.	112
Laboris idem modus non omnibus convenit.	114
— novi usu fatigatio levatur.	166
Laborum Athleticorum finis.	61
Lachrymæ.	220
Lassatis non est a cibo dormiendum.	143
— vinum utile aliquot nominibus, aliquot	
inutile.	164
Lassitudini somnus medetur.	141
Lassitudinis assiduæ remedium concoctio.	164
Lassitudo quid.	141
— —: quid fatigatio Celso & Galeno	
sit.	112
Lavacri calidi usus quando noxius.	48
Lavacrum calidum quid præstet.	47
Lavandum non statim a cibo gracilibus.	198
Lectio clara.	323

Lectio clara, quid commodi afferat.	103
Liberi homines & valentes curiosis Medico- rum præceptis non devinciuntur.	37
Lippitudo.	311
Locus difficilis ejusque explicatio.	217
— mendosus.	246
— spinosus de usu carnis per horas Vernales	281
— subdifficilis.	283
— vitiatuſ.	249
Longævis & ægris quæ idonea ſunt.	111
Lotio calida cur pueris & longævis utilis. .	265
Lucubrandum ſit qua noctis particula. . . .	97
Luna humido elemento dominatur.	303
Luxus noſtrorum in ſecunda menſa fructibus ornanda.	121

M.

Macies.	330
Male formati quibus rebus lædantur.	35
Mane peracta ventris concoctione furgendum eſt.	94
Mare quandoque tentare non eſt inutile. . . .	35
Medice vivere eſt miſere vivere.	34
Medico noſcendæ ſunt hominum proprietates.	182
Melancholici ægre vomunt.	218
Melancholicis quibus Venus accommodatior.	127
Melancholicorum hiftoriæ.	ibid.
Menſa ſecunda cur intus coaceſcat.	121
— — noſtri ſeculi explodenda eſt.	179
— — veteribus uſitata.	178
Meridiandum ante cibum.	96
Meridianus ſomnus per peſtem fugiendus. . .	350

A a

Meridiari quibus tutum sit, & quo anni tem- pore.	95
Migrandum quibus temporibus, ad quæ lo- ca sit.	131
Modicum hyemis frigus.	197
Modo ruri esse, modo ad urbem redire sa- nitati convenit.	39
Modus Veneris aut nimietas quibus notis de- prehendatur.	68
Mœstis extrema frigent.	204
Molle cubile.	199
Morbi ex desidia orti.	42
Morbos frigidus parit vinum immodice sum- ptum.	61
Motio lenis imbecillis idonea.	110
Motionis utilitas.	38
Motu excitatur calor. ..	39
Motus confert articulis & carnibus. ..	41
— cruditati inimicus. ..	85
— excrementa corporis pellit.	41
— infantibus quoque proficiuus.	43
— quietisque subita mutatio periculosa... ..	224
— reliquis calefacientibus salubritate præ- stat.	38
— solida firmat.	41
Mulieribus gravidis quando humidus victus inutilis.	167
Mulfum.	318
Mutatio omnis paulatim fienda est.	138

N.

Natura altera consuetudo.	130
— ante bona, post vero depravata nunquam est mutanda.	37
— appellatur calor naturalis.	179
— communis hominum.	178
— Mediocrem Seminis quantitatem nobis largita est.	64
— melius fert copiam, quam inopiam. ..	115
— optima unde male afficiatur.	33
— potens magnos casus superat, invalida parvis succumbit.	267
— proprietas arcana dicta.	189
— quid.	178
Naturam corporis ante omnia scire convenit.	36
Naturarum in valescendo diversitas.	188
Naturæ gravis vicissitudo edendi mutata. ..	136
— inimicum omne nimium.	139
— jucunda.	172
— molesta est, consuetudo subito mutata.	130
— molestus est, insolitus victus seu bonus seu malus est.	52
— valetudo nunquam potest esse mala. ..	33
Naturis omnibus æquo quis aër profit.	65
Navigantibus vomitus perutilis.	172
Nausea & Vomitus spontaneus. ..	328
— inanis unde fiat.	220
Negotiandum non est ante exactam Ventriculi coctionem.	76
Negotiis detractis ac supra modum comprehensis naturæ vitiis semper in genere largius cœnandum.	58

Negotiosis hominibus contractius prandium nunquam non convenit.	58
Neutra corpora inter salubria & infalubria media quo pacto regi oporteat.	36
Nostri caloris analogia cum ignis flamma..	123
Noxæ quæ præter morem inpransis accidunt.	225
— vehementium cathartorum.	235
Nutritio quid.	184

O.

Otio multi perierunt.	42
Olera per æstatem convenientissima.	284
— qualia hyeme salubria sunt.	274
Οφθαλμία	311
Optima natura vitæ magistra.	36
Optime sanis natura propria omnia invenit. ibid.	
Os frigida fatigatis a balneo fovendum.	152
— — aqua per capitis imbecillitatem fo- vendum.	312
— experrectis eluendum frigida.	95
— omnibus pene visceribus consentit.	175
Ova magis reficiunt quam frigidæ poculum.	287

P.

Palatorum diversitas.	180
Panis candidus vitiosus.	275
— ex quibus conficitur.	274
— — quo frumenti genere probatissimus.	275
— multus per hyemem utilis.	274
— quis saluberrimus.	275
— triplex genus.	ibid.

Particulæ imbecillæ maximæ prospiciendum.	194
Partium imbecillarum prophylaxis.	333
Patriæ mutatio longos morbos evincit.	38
Pauperculi non offenduntur pravo cibo propter assuetudinem.	137
Peracta concoctione mane surgendum.	94
Per pestem somnus meridianus vitandus. ..	350
Pericula seminis justo diutius retenti	63
Peste grassante peregrinandum, navigandum- que est.	348
— sæviente vomitus & dejectio inutilia..	349
Pestem difficilem Austri invehunt.	351
Pestilentia quando fiat.	88
Pestilentia optimum remedium fuga.	132
Pestis arcendæ ratio in duobus consistit....	348
Phthisi obnoxios supra ne purgato.	223
Picatio.	197
Picrocholorum signa.	219
Pila aliis exercitationibus prævalet.	102
— & armorum meditatio.	324
Pilæ lusus.	316
— prærogativa.	103
Pituita acida, aut salsa exasperat, dulcis le- nit.	230
— proprium ventriculi excrementum.	214
Podagræ Bacchus pater, nutrix Venus.	66
Polybo Authore vinum meracum largius esse bibendum.	83
Poma acida frigido corpori noxia, calido semper utilia.	292
— ex sese non semper nocent.	291
— nocentia abusus facit.	292
— unde noxia vescentibus.	291

Pomis quomodo vescendum.	293
Pomorum succus facile corrumpitur.	292
Potio dilutissima.	283
— exigua.	254
— frigida alvo ad fluorem proclivi utilis.	318
— quæ conveniat fatigatis.	157
Potus frigidus quomodo frigido Ventriculo subveniat.	79
Præceptum exhibendi tibi.	264
— generale omnis exercitationis.	110
Præcordiis dolentibus frigida cur inutilis. ..	84
Præcordiorum dolor.	327
Prandium an cœna conveniat esse liberalius.	55
— quale conveniat negotiosis hominibus. .	58
— Quando largius sumendum.	ibid.
Præcis frigus, æstas, labor vitanda sunt. ..	124
Probe sanis natura in eodem statu servanda est.	33
Proprietas arcana, etiam natura dicta.	180
Proprietates hominum Medico noscendæ. ..	182
Pueri & senes solitum laborem ferunt, quo in- solito juvenes franguntur.	139
Pueritia.	259
Pugnantia inter se principum partium tempe- ramenta, et valetudini incommoda.	297
Purgare quos oportet.	236

Q.

Quadrati nullum non genus motionis facile sustinent.	31
Quæ catharros moveant.	343
— causæ doloris colici.	331
— corpus refrigerent.	246

Quæ noxæ præter morem inpransis accidant.	136
Quale vinum capiti imbecillo idoneum.	308
Quatuor humanæ vitæ ætates.	259
Quibus temporibus ad quæ loca migrandum fit.	131
Quies a cibo.	156
— — fuso ventri utilis.	221
— — concoctionem adjuvat.	75
— — crudo ructui opitulatur.	85
— — modica.	196
— — quid commodi afferat.	35
Quinam maxime valetudinarii, ac minime vi- tales sint.	298
— — omnium facillime jejulant.	258
Quomodo Stomachi infirmitas castiganda.	329

R.

Raucitas ceu <i>βράγχος</i>	311
Remedia temere in sanos sumuntur quæ ægro- tis debentur.	71
Remedium anceps præstat quam nullum.	154
Res novæ quæ dicantur.	58
— — quæ per pestilentiam fugiendæ.	350
Rigor quid & unde fiat.	138
Romani obnoxii catharris.	312
Rosam quid Batavi vocant.	341
Ructu crudo urgente post cibum frigida por- rigenda.	81
Ructui crudo opitulatur quies.	85
— — frigida quomodo medeatur.	82
— — frigidæ potio quomodo succurrat.	80
Ructum quem Celsus hoc loco proponat.	78

Ructus acidus ab infirmo nascitur calore...	78
— — quid & quomodo moveatur.....	76
— crudus idem quod acidus.....	79
— — quomodo fiat.....	83
— fumosus.....	76
— malæ concoctionis index.....	ibid.
Rustici cur magis vivaces & sani oppidanis.	99

S.

Sanguis naturæ thesaurus.....	244
Sani vitiose ab ægris parvo discrimine di- stant.....	32
Sanis obest consuetudo repente mutata.....	135
— probe natura in eodem statu est obser- vanda.....	33
— quibus conveniat illud.....	32
— vitiose cur vivendi libertas parum tuta sit.....	36
Sanitas omnis duabus rebus conservatur....	43
Sanitati vitiosæ presens Authoris sententia mi- nime convenit.....	31
Sanitatis ac morbi discrimen.....	29
— difficilis tutela, quam negotia impe- diunt.....	98
— ingens latitudo.....	30
— vitiosæ duæ notæ sunt.....	31
Sano rectius sensim, ægroto affatim vitium adimitur.....	134
Sanorum duplex ordo.....	30
Sanus homo, qui & bene valet, &c.	32
— — quis.....	29

Satietas quid noceat, quid nimia abstinencia.....	174
Securitas animi.....	197
Sedile.....	254
Seminis iusto diutius retenti pericula.....	63
— mediocrem quantitatem natura nobis largita est.....	165
Senectus ultimus vitæ terminus.....	262
Senes calidis & humidis reficiendi.....	191
Senex eundem laborem solitum melius fert, quam adolescens insolitum.....	41
Senibus quale vinum utile.....	192
Sententia authoris qui intelligenda sit.....	40
Sessione fatigatis quomodo subveniendum..	172
Sextarius.....	229
Siccitas retentricem vim firmat, humiditas expultricem.....	235
— semper inutilis.....	188
Signa effusæ bilis in ventriculum.....	144
— picrocholorum.....	219
— vomitionis mox futuræ præfaga.....	ibid.
Sitis citius vino diluto quam pura aqua sedatur.....	166
Sol ardens.....	316
— inurens extenuat.....	203
Sole capiti exusto quomodo prospiciendum..	171
Solis ardor quibus nocet.....	169
Solium fervens fatigatis contrarium.....	152
Somni pomeridiani incommoda.....	96
Somnum labor conciliat.....	142
Somnus concoctionem adjuvat.....	75
— cur a natura animantibus sit tributus..	142

Somnus effluvia naturæ sistit, ac proni excre-	
— menta accumulatur.	56
— exsiccatis utilis, vigilia inimica.	144
— jejunos extenuat.	143
— — refrigerat.	145
— medetur lassitudini.	141
— meridianus per pestem fugiendus.	350
— nimium brevis aut longus extenuat.	208
— plenus.	198
— post inediam.	246
Spiritus in mœrore ad cor vadit.	204
— quid patiat per invidiam.	205
— vitalis officium in affectibus animi.	204
Stomachi frigidi præsidia.	329
— imbecillitas unde contrahatur.	322
— infirmi notæ Pallor.	327
— infirmitas quanda castiganda.	328
— resolutio.	322
— vitia quanti sint.	74
Stomacho bilioso quid utile.	329
— imbecillo idonea auxilia.	323
— infirmo quid frigida haustum impediatur.	329
— molestus vomitus.	229
Stomachus cur studiosis imbecillus.	74
— debilis recipit totius superflua.	75
— quid.	74
Sudantibus ex labore frigida potui data per-	
— niciosa.	157
Sudationes & balneæ gravi tempore vitandæ.	350
Sudor quis exercitio finem imponat.	113
Sudores quibus per nocturnum somnum sint	
— effusiores.	56

T.

Temere in sanos sumuntur quæ ægrotis debentur remedia.....	72
Temperamenta pugnancia inter se principum partium valetudini incommoda.....	199
Temperamentum per occupationes non mutandum.....	194
Temperata cruditati præsidio sunt.....	86
Temperati omnibus resistunt.....	36
Temperaturam corporis, quod animi mores imitantur.....	257
Tempora anni aliter Avicennas atque Græci notavit.....	269
—— — Græci quomodo distinguant.....	ibid.
—— — non voces, sed cœli tempestas facit.....	ibid.
Tonsillæ.....	311
Tremor, & horror quibus ex causis nascatur.	339
Triplex vomitivorum differentia.....	224
Tristitia ac metus quomodo hominem confundunt.....	205
Tutela difficilis sanitatis, quam negotia impediunt.....	98

V.

Variando in victu quali moderatione opus sit.	52
Vehemens exercitatio corporis molem atterit.	208
—— qualitatum excessus contrarium victum exigit.....	184
Venerem quæ ætates bene, quæ male ferant.	64
—— expulerunt Epicurus, & Democritus..	62

Veneri exercendæ, quæ tempora captanda.	70
Veneris modus aut nimietas quibus notis de- prehendatur.	68
Ventriculi proprium excrementum cur pitui- tosum.	214
Ventriculo inani cur frigida noxia sit.	80
Ventriculus & caput citissime excrementis per somnia opplentur, & quare.	57
— firmandus a vomitu.	319
— imbecillus sæpius reficiendus.	324
— — corporis totius superflua recipit. .	210
Ventris concoctione peracta mane surgendum est.	83
— crassi copula difficilis, & subtilis animi.	62
— fusi maxima commoditas.	135
— lubrici remedia.	316
Venus affectibus pituitosis utilis.	177
— alios neglecta, alios tentata offendit. .	67
— autumnno non usquequaque conveniens.	295
— cur per noctem tutior.	69
— diurna ante cibum exercenda.	ibid.
— durante vere saluberrima est.	281
— melancholicis utilis.	66
— — quibus accommodatior.	ibid.
— motusque omnis alius cruditati adver- satur.	69
— nocturna inutilis, quam vigilia, aut stu- dia excipiunt.	70
— nutrix Podagræ.	67
— per æstatem nocentissima.	295
— — hyemem non omnino inutilis.	275
— podagræ & chiragræ inutilis.	333
— quando potissime utilis.	295

Venus quibus adverteretur corporibus.....	63
— rara corpus excitat, frequens solvit....	64
— utilis sit quibus.....	63
— ut nihil æque vires affligit, & quare..	64
Ver totius victus postulat mediocritatem....	276
Vere dilutius bibendum.....	289
— nonnullis parcius victitandum est.....	178
— sæpe utiliter sanguis mittitur, aut pur- gatur.	ibid.
Vescendi modus atque ordo non solum, sed cibi etiam genus nocet repente mutatum.	137
Vesica ante exercitationem levanda	100
Vicissitudo edendi mutata naturæ gravis....	136
Victum contrarium exigit vehemens qualita- tum excessus.....	184
Victus contrarius fit calori & frigori idque ra- tione corporis, ætatis, temporis anni..	ibid.
— dissolutior Galeno morbum attulit....	50
— duplex genus.....	181
— humidus quando mulieribus gravidis in- utilis.....	187
— insolitus, seu bonus seu malus est natu- ræ molestus est.....	52
— novatus subito nocet.....	135
— totius generalis regula.....	193
Vigilia promovet Corporis difflationem.....	57
Vigiliæ hominem emaciant.....	207
Vini largius sumti incommoda.....	116
Vino pueros ex toto abstinendos censuit Pla- to.....	266
Vinum dilutum pueris aptius est.....	ibid.
— immodice sumptum frigidos morbos pa- rit.....	61

Vinum iusto liberalius sumptum quid no-	
ceat.....	177
— lassatis aliquot hominibus utile, aliquot	
inutile.....	164
— meracum senibus accommodum.....	266
— potens languido cerebro inimicum....	308
— quale capiti imbecillo idoneum.....	ibid.
— — expetendum.....	280
— fugiendum.....	ibid.
— — jecur, lienem, & renes obstruat..	267
— — senibus utile.....	133
— quandoque Hippocrates acute febricitan-	
tibus indulfit.....	331
— senibus nullum confert, quod non sit diu-	
reticum.....	267
Vires nihil æque ut Venus affligit, & quare.	64
Vita medicis dedita misera.....	127
Vitæ humanæ ætates quatuor.....	259
Vitiose sani ab ægris parvo discrimine dis-	
tant.....	28
— sanis cur vivendi libertas parum tuta	
sit.....	37
Vomendum cur hyeme.....	215
Vomentis cujusdam pituitam historia.....	227
Vomitionis signa mox futuræ præfaga.....	219
Vomitivorum triplex differentia.....	225
Vomitus alimento intus corrupto aut corrup-	
pendo utilissimus.....	162
— antiquis per hyemem frequens.....	215
— cælum mutanti utilis.....	221
— conducibilis a cæna.....	319
— convenientior quando.....	315

Vomitus cur compressum ventrem solvat.	256
— debile caput offendit.	309
— & dejectio leviente peste inutilia.	349
— inutilis frigidis pariter & humidis.	218
— maturus saluberrimum remedium tenu-	
lentiae.	162
— molestus stomacho.	229
— navigantibus perutilis.	172
— pleno quam vacuo promptior.	173
— quare utilis.	218
— quibus noxius.	221
— — utilis.	216
— quid & quomodo fiat.	222
— rejectus temere ab Asclepiade.	210
— salutaris iis, qui hunc præter morem	
neglexerunt.	221
— secunda in valetudine quoque sæpe ne-	
cessarius.	223
— totum etiam corpus vacuat.	212
— unde & quæ vacuet.	214
Unctio.	197 & 243
— fatigatis utilis.	152
— lenis lubrico ventri utilior.	317
— sub gravi cælo utilis.	140
Unciones ad quæ conferant.	48
— saturis officiant.	148
Urina alba & rufa quid significant.	80
— colamentum sanguinis.	89
— optima quæ.	90
— putridis in febribus est spectanda.	89
— quomodo a sanguinis massa discerna-	
tur.	ibid.
— super hepate ac venis significat.	88

Urinæ bonitas ex proba hæmatofi.....	92
— calor pallidus.....	93
— — rufus probæ concoctionis index..	ibid.
— colorem qualem Celsus album dixit qui cœptæ concoctionis index est.....	92
Urinam bilis colorat.....	ibid.
Utilitas motionis	40
Utrum cœna an prandium conveniat esse libe- ralius.....	55
Utrum frigus, æstas, labor magis inani quam pleno noceant.....	126

FINIS.

